


500596

Handwritten text on a scroll, likely a manuscript or record, written in a cursive script. The text is arranged in several lines and is partially obscured by a white label at the bottom. The scroll is mounted on a dark background.


4
P

Anaxagoras.

Et quibus lucerna est opus infundit
oleum
1666



Joannis Antonii Zaratarij Paneg. 96508





$\frac{3}{50596}$

14-3-41


41.

Alma





MSCCPPPE0616



IOAN. ANTONII

ZAVATARI

Mediolanensis I.C.

PANEGYRICVS

COMESTABILI CASTELLAE,
MEDIOLANI GVBERNATORI,

IV. Nonas Decēbris, M. D. VIIC. dictus ;
cūm populus Mediolanen. exultās plu-
ribus lētitie signis, annalem eius mo-
derationis reatē, ac feliciter gestē
diem celebraret.

Quo in libro , quod sit officium Mediolanen.
Gubernatoris, Senatus, Magistratum, Iu-
dicum, Fiscī patronorum deniq. paucis do-
cetur ; ex quibus tota ferē praxis iudicio-
rum criminalium facilē percipi potest .

De la lib. de Colegio de Valencia



MEDIOLANI, M D. XCV.

Apud Franciscū Paganellum . De Consensu Superiorum.

IOAN. ANTONII

ZAVATARI

Mediolanensis I.C.

PANEGYRICVS

COMESTABILI CASTELLAE,

MEDIOLANI GVBERNATORI,

IV. Nonas Decēbris, M. D. VIIC. dictus;

cūm populus Mediolanen. exultās plu-

ribus lētitie signis, annalem eius mo-

derationis rectē, ac feliciter gestē

diem celebraret.

Quo in libro, quod sit officium Mediolanen.

Gubernatoris, Senatus, Magistratum, Iu-

dicum, Fiscī patronorum deniq. paucis do-

cetur; ex quibus tota ferē praxis iudicio-

rum criminalium facilē percipi potest.

De la lib. de l'Alleg. & l'Inuention



MEDIOLANI, M. D. XCV.

Apud Franciscū Paganellum. De Consensu Superiorum.

IOAN. ANTONII

AVATARI

Mediolanensis. I. C.

P. M. X. G. R. I. C. V. S.

COLLEGIUM CASTELLAE

MEDIOLANI SUPERINTENDENTIA

IV. Novae Decret. M. D. VHC. libras;

omni populus Mediolanen. exaltat. plu-

ribus legibus hanc annalem eius mo-

derationis tota se felicitet gessit

dem. celebrat.

Quo in libro, quod de officium Mediolanen.

Superintendentis, summe clarissimum, lu-

dicendum est, non solum in his, quae de-

centur; ex quibus non solum patet in iudicio

sum criticissimum facile percipi potest.



MEDIOLANI M. D. XCV.

Apud Praesidem Praesidium. De Consilio Superiorum

VIRGINI MARIÆ
DEI MATRI.



IBI sacrosancta VIRGO
MARIA, quæ felicissi-
ma es, & omni laudum
genere cohonestāda; cūm ex te
ortus sit sol iustitię CHRISTVS
DEVS noster, quę labores ho-
minum honestè susceptos ho-
noribus, præmijs, atq; splendo-
re decoras; ac me, meosq; quia
gratia plena es, tueris, & or-
nas, has lucubrationes do, de-
dicoq;.

BIBLIOPOLA
LECTORI.



NE tibi amice lector acci-
dat, sicut olim Seruio Sul-
pitio, cui Q. Mutius acri-
ter exprobrauit, quòd causis
orandis vacans iuris ciuilibus stu-
dium negligeret; idcirco, quã-
uis magnam iuris peritiam ac-
quisiueris, aduocatusq. vel iu-
dex de rebus pecuniarijs fueris,
nisi tamen praxim hoc libello
contentam percallueris, à circũ-
foraneis institoribus in iudicijs
capitalibus rideberis.

Ioanni

^I
IOAN. ANTONII
ZAVATARI.

Mediolanensis I. C.

PANEGYRICVS



VONIAM omne
datū optimum, et om-
ne donū perfectum de-
sursum est, descendens à
Patre luminum, decet
iuxta Diuini Vatis

verba auspicari, & meum dicendi cursum
sic instituere: Lauda, Insubria, Dominum,
lauda Deum tuum, Mediolanum; quoniam
confortauit seras portarum tuarum, benedixit
filijs tuis in te, qui posuit fines tuos pacem, &
adipe frumenti satiat te. Dum enim Domi-
nus Deus noster suo diuino afflatu Catholi-
cum Regē PHILIPPVM II. Au-

striacum mirifice iuuat, eam in mentem in-
 duxit, ut te. IOANNE M. FER-
 NANDEZ de VELASCO
 Ducem in Italia generalem constitueret,
 commonuit etiam, ut te Castellæ Comesta-
 bilem, Regiæ, & Catholici Maiestatis cubi-
 cularium primum, Friæ Ducem, Hari, &
 Castri noui Comitem, Domorum de Velasco,
 nec non septem infantium de Lara Principem,
 in eiusdem Regiæ Maiestatis locum substitu-
 tum, Imperio dignum ad nos regendos mitte-
 ret. Quod quidem dum mecum tacitus ipse
 perpendo, summam Regis prudentiam ad-
 uerto, & Omnipotentis Dei donum magis ex-
 cellens, ac pulchrum, quam, vel mente exco-
 gitare, vel votis optare possemus, agnosco.
 Ut enim effrenatis Principum cupiditatibus,
 & facinorosis sceleribus tota Ciuitas ad teter-
 rima vitia pertrahi, sic eorundem continen-
 tia, ac virtute, ad optimam viuendi normam
 auocari consuevit. Exploratum nobis est, te
 huius

huius ditionis administrationē non affectasse,
 non emolumento aliquo, quod inde extrahi
 posset, ad eam suscipiendam impulsus, sed
 equum Regis nostri animum, precesq; nostras,
 atq. humiles omnium obsecrationes hanc tibi
 Provinciam gubernandam demandasse; ita,
 ut uniuersa Ciuium multitudo optimè sciat,
 te amplissimū hūc dignitatis gradū, quemad-
 modum multi faciunt, adipisci non studuisse,
 sed à iustissimo Rege delatum non recusasse;
 cū præterea non ignorares te non ad quietem,
 & ocium, sed ad laborem, curasq; vocari,
 omnibus tibi voluptatum illecebris bellum in-
 dicendum esse, & pro salute pauperum, quos
 non modo tu, verū etiam Progenitores tui,
 (quod sanè maximum est, & Imperatoriam
 quandam præ se fert dignitatem) defendendos
 ab omni temporum calamitate susceperunt,
 laborandum. Nouimus nos Mediolanen.,
 nouit hæc tota regio, nouerunt omnes, qui fini-
 timi sunt, hoc quasi de cælo collapsum bonum,

nouit populus vniuersus, cuius vocibus ita Me
 diolanum resonat, ut nullus penè sit huius ur-
 bis recessus, quò egregia nominis tui amplitudo,
 & fama omnium certatim sermone aucta nõ
 peruenerit. Ecquid gloriosius Principi vi-
 ro, & ad perpetuam nominis commendatio-
 nem honorabilius esse potest, quàm pauperum
 alterum quasi parentem omnium ore prædica-
 ri? Ecquid, quod maiorem afferat consola-
 tionem, quàm hilares parentum, filiorum, se-
 num, & adolescentium, uiuat Magnus Cõ-
 testabilis, Abundantia, Abundantia, con-
 clamantium voces exaudire, præsertim verò
 cùm vilitatem annonæ, quæ ob immensam
 Dei Opt. Max. erga nos liberalitatem con-
 secuta est, eam nobis vigilanter, atq. omni di-
 ligentia custodiendam sic putaueris, ut mihi
 laboris initium contemplanti, & multam in
 eo perseuerantiam, ac maiorem in ea retinen-
 da constantiam perpendenti nihil occurrat,
 quod magis admirari possim. Acerbum pro-
 fectò

factò nonnullis temporibus, ac laboriosum erat
 inopibus, atq; in sua re egentissimis hominibus
 aliquam liberorum multitudinem procreare,
 nunc verò iucundum, ac delectabile; magnū
 antea periculum imminebat, ne robur Ciuita-
 tis, quod frequenti hominum copia nititur, eua-
 nesceret, nunc autem hoc à te stabilitur ita con-
 stanter, ac firmatur, ut filiorum numero, quē
 tunc temporis egentes homines exosum habe-
 bant, hoc tempore recreentur, & ita recreen-
 tur, ut ipse magis felices existiment, qui liberos
 sic erudire, & informare queant, ut postea na-
 tu grandiores non magis parentibus, à quibus
 vitam, patrimonium, libertatem, Ciuitatem
 acceperunt, quàm Regi cuius imperio tamquā
 in arce collocati sunt, & tibi ipsi reliqua ad ui-
 tae incrementum necessaria suppeditanti se fa-
 teantur esse deuinctos. At licet vilitatis an-
 none fiducia multum incitare soleat ad filios
 educandos, magis tamen ad hoc præstandum
 impellere quodammodo videtur spes, atq. ex-
 pectatio

pectatio securitatis, quam equis innixam legibus, iure nostro ciuili confirmatam, & in delectu, quem habes bonorum, ac prudentium iudicum, stabilitam credimus. Nam quamuis multi sint, qui siue in magna, siue in exigua rei frumētaria caritate liberos habere peroptēt, qui tamen eosdem iniquē oppressos, in carcerem coniectos, quæstioni subiectos, supplitijs contortos, ac penē extinctos cupiant, nulli reperiuntur. Hæc quamplurima incommoda, Excellentissime Princeps, tu animaduertisti, & sicut ingrauescentem pœnuriam, quantum in te fuit, leuasti, ita populum in tribunalibus omnibus, in ijs uerò præsertim, in quibus caussa capitis cognoscitur, tutum atq. incolumem esse curabis. Magna est expectatio de te apud omnes concitata, quam etiam in dies magis, ac magis, ut credimus, explebis, ac sustinebis. Habes ante oculos Illustriss. Comitem Gasparem, clarissimo Vicecomitum genere ortum, atq. vigilantissimum nobilissimæ huius

Ciui-

Ciuitatis Archiepiscopū: Hūc enim virū ego,
 & reliqui Mediolanen. qui tunc in Ticinēsi
 gymnasio iuris studio operam dabant leges in-
 terpretantem, & difficultates, quæ circa eas
 oriuntur æquitate, à qua quicquid dissidet, ini-
 quum sit necesse est, & à legislatoris volunta-
 te alienum, explicantem audiuius; postea
 Romani summa cum eius Laude ius in Rota
 dicentem obtinuerunt. Is ob lumen animi,
 ob lumen ingenij, ob singularem eius pietatem,
 & rectam gubernandi rationem, à Gregorio
 XIII. Pont. Max. qui morte præuentus ad
 maiorem administrationem eum prouehere
 nequiuit, in Caroli Borrhomæi S. R. E. Car-
 dinalis locum suffectus est. Is demum, qui
 curas, sollicitudines, labores pro Ciuitatis salu-
 te, & Regis imperio libenter excipit, & mu-
 neris sibi delati maiestatem egregiè sustinet,
 non paruum tibi adiumentum, atq. ornamen-
 tum afferet. Habes Didacum Sallazarium
 magnum cancellarium uirum omni laude cu-
 mulatum,

mulatum, cuius studium honori tuo pro officio,
 atq. obseruantia sua nulla umquã in re deerit.
 Neq. verò Illustris Principum gloria aliqua
 in re magis elucescit, quàm in optimorum mi-
 nistrorum, qui ius equis animis pertractent,
 electione. Ita enim nos monet sapientissimus
 Salomon inquiring: in exaltatione iustorum
 magna gloria est, regnantibus impijs ruina ho-
 minum. Atqui nihil nobis prodesset integrũ,
 ac instum Principem habere, si deinde viris
 rectè administrantibus destitueretur. Sed ne
 iuuat quidem, Princeps, Ciuitatem hanc bo-
 nis Imperatorum legibus, bono iure nostro ciui-
 li, bonis Regis decretis tam Vormatien. quàm
 Thomarien. et alijs firmari ubi iudices ab eis
 desciscunt. Quare non nisi sapientissimè, ac
 prudentissimè se gerunt Principes illi, qui mu-
 nera, ac dignitates melioribus legum obserua-
 toribus deferendas arbitrantur. Celeberrimũ
 verò, ac peruagatum illud Diocletiani non-
 dum in celsissima imperandi sede constituti
 dictum

dictum exstat : optimè, videlicet, regere difficillimum esse ; cùm quatuor, vel quinque se simul colligant, qui callido, ac pernicioso eorum consilio Principem decipere nituntur, ea inter se impiè concludentes, quæ eidem Principi credenda proponant. Quo fit, ut Princeps in edibus suis vitam degens, ac res veras nesciens, quæ ab illis quatuor, aut quinque referuntur tantùm scire, & iudices ad tantam honoris amplitudinem exercendam ineptos constituere, aptos verò ad eandem dignitatem egregiè, ac laudabiliter sustinendam vel delere, vel non deligere cogatur. Quis ergo à sensu tam alienus oculis ferè non videat maiorem hac in re perniciem afferre infidelem, qui sapiens habeatur, quàm insipientem ? Siquidem improbus, & aliquo sapientiæ lumine collustratus, quò magis ingenio pollet, & quò acutius, quæ futura sunt conijcit, prauitati seruire adactus, eo plura peragit mala ; sed dubium alicui esse non potest quin eiusmodi consiliarij hac infidelitatis

litatis labe notati supplicia eorum criminibus debita Diuina sic iubente Prouidentia luant; quemadmodum Corindonum iustitiæ in Sicilia Prefectum, quia Principem ad ferenda iudicia ultionis plena cohortatus fuisset coram frequenti populo stantem, & in iuris sella insidentem igne diuino absumptum esse: Helio etiam apud Hybernenses, quoniam Principi suadebat, ne populo leges, ac pacta serua- ret accerrimas ab æquissimo iudice, ac simul etiam scelerum vindice Deo pœnas inflictas fuisse legimus. Tù verò prudentissimus es, qui non consiliariorum modo, quos habes, optimorum præsentia contentus, sed aliorum etiã, & eorum in primis, qui in eiusmodi negotijs cupiditate non inuoluuntur, sententiã exquiris; cum optimè scias non omnes in fraudem inducere, nec unum reliquos omnes fallere. Letantur omnes boni, qui te non solum diligenter, constantem, & grauem agnoscunt in iustitiæ magistratibus æque dispensandis, sed etiã

in deuitanda quauis vel leuissima suspicione, qua homines adduci possint, ut magistratus à te distributos non in alterius gratiam, nec beneficij sed utilitatis publicæ caussa conferri credant. Gaudent inquam integerrimi viri, & quibus possunt signis conceptam animo letitiã ostendunt, animaduertentes non posse te decipi in crebra horum munerum delatione, ut pluris hominum beneuolentiam, quàm personarum aptitudinem, & utilitatem subditorum facias. Quæ sanè omnia, & subditos maximè iuuant, & hoc etiam efficiunt, ut qui aliquo insigni honoris, ac dignitatis gradu decorati fuerunt, nulli alteri gratiam habentes, te solum tamquam voluntarium illius honoris dispensatorem agnoscant. Atq. ideò Magistratus hos à te selectos tales fore speramus ut, cum virtutis ope munera illis demandata sibi parauerint, ea etiam ex equitate, & bonis moribus explere conentur. Si quidem e contrario difficile est, ut potestas malis artibus acqui-

sita

sita bonis moribus administretur. Speramus
 quoq. ut huiusmodi viri charitate potius, quã
 propria utilitate p̄moti officia sibi delata exer-
 ceant, & non magis auro, atq. argento, quã
 bona, & prudenti vita lucere concupiscant.
 Boni autem sunt, Princeps, qui sibimet ipsis
 imperare possunt. Prudentes verò, ac iu-
 sti, qui sciunt, quæ erga Deum, & homi-
 nes agere, atq. dicere deceat. Est hæc Pla-
 tonis præstantissimi Philosophi doctrina,
 quem Cicero ingenij, & doctrinæ principem
 vocat. Detestabilem mehercule, ac flebi-
 lem aegritudinem suscipiet hæc Ciuitas, &
 tota ditio Mediolanen. nisi illi excellens de-
 signandorum à te Medicorũ, qui iudices erunt
 à te delecti, peritia obstiterit. Si enim corpo-
 ra nostra diuitibus tantum Medicis sananda
 non committimus, quoniam litteræ, ut præcla-
 rissimum Ecclesiæ lumen D. Hieronymus in-
 quit, marsupium non sequuntur, sed ijs tãtum-
 modo, qui artem norunt optimè exercere, mul-

id diligentius hoc videtur aduertendum, ut
 omnium salus incolumis seruetur, in iudicibus,
 & id genus hominibus deligendis, à quibus nõ
 solum corpus, sed opes omnes, sed honor, & si
 quæ sunt reliqua, dependent. Ecquis obsecro
 poterit vñquam iure affirmare, perditum, ac
 profligatum hominẽ, qui per fas, & nefas pe-
 cuniam sibi, ac diuitias compararit digniorem
 esse, quàm pauperem virum attamen inte-
 grum, & iustum, qui æquitatem pluris æsti-
 mans quàm argentum, inopem se esse non eru-
 bescat? Is, qui aliquod iudicandi munus
 opum adminiculo emit, id emptum ita ven-
 dit, ut aut ius non dicat, aut bonis ciues euer-
 tat. Iustitiæ enim exercendæ normã non
 seruat, & quæ Regis sunt dare Regi, quæ Dei
 Deo, & tandem ius suum unicuiq. tribuere
 nescit, sed potius vanalem iurisdictionem ha-
 bere, Regis, & Dei propria eripere, & in
 cuiusq. fortunas se turpiter inferre non per hor-
 rescit, ut ipse lacunam rei familiaris expleat.

¶ erogatam pro habenda dignitate pecuniam cum quaestu redimat. Debent quicumque ad aliquam dignitatis amplitudinem promoti fuerint simul atque Magistratum inierunt, pulcherrimam illam Propheta orationem proferre: *Aperite mihi portas iustitiae ingressus in eas confitebor Domino; atque quò facilius, ac promptius eam possint dignitatem sustinere, ¶ quae peragenda sunt fideliter exequi, tenentur etiam rei Spiritui Sancto Sacrae interesse.* At proh dolor, qui administrationem emit peierare non extimescit, ut nihil se promississe cuiquam, vel dedisse, vel promissurum, aut daturum esse significet; quo iure iurando falsitatis pleno gratiam à se eiusdem Spiritus Sancti depellit. Hunc nos periurum, ¶ omnis fidei, religionisque contemptorem ad leges, quae ad salutem civium, civitatumque incolumitatem, vitamque omnium quietam, ¶ beatam constituendam diriguntur, administrandas aptum existimabimus?

Nostram

Nostram iste amentiam ridebit, si Christiani
 officij rationem in suo Magistratu desidera-
 bimus, et instituta maiorum nostrorum re-
 quiremus. En igitur caussa quare Chri-
 stiani Principes summopere inuigilare de-
 beant, ut eorum, qui de rebus ad communem
 hominum incolumitatem pertinentibus decre-
 turi sunt, probitas prius, ac prudentia, sicut tu
 facis, peruestigetur. Quandoquidem Ju-
 dex non rationem cum sua conscientia quoti-
 die subducens, nihil etiam religiosum, ac pium,
 quod in populi commoda redundet, perficere,
 ac decernere potest. Addamus etiam hunc
 ipsum iudicem si forte contingat imperitum
 esse, insipidum quodammodo apud populum
 haberi; si verò nullam conscientia rationem
 ducere accidat, diabolicum esse. Euripide
 quidem auctore, linguam iurasse, mentem ta-
 men iniuratum mansisse dicet, et simulatam
 potius, atq. adumbratam quandam vitæ san-
 ctimoniam, quàm veram, ac synceram reli-

gionem acquirere cupiet, quo certè nihil perniciosius, & nihil ad ultimum iniuriæ terminum magis accedens aut fieri potest, aut excogitari, si Platoni, & D. Basilio fidem adhibeamus. Is procul dubio ad perniciem innocentis fidem suam, & religionem pecunia commutabit; quare omnium fortunas in discrimen adduci necesse est; iudicia, quibus miserorum hominum calamitas contra potentis, ac diuitis furorem defendatur nulla exstare oportet. Tunc enim Princeps, quadrare videaris in improbum illum hominem, lepidissimum Poetae carmen.

Dat veniã coruis, vexat censura colūbas.
 Is namq. profligatissimus pretio, vel alia re turpi delinitus, si hoc assequi queat, ut eius ope, ac suffragio dignitates aliqui consequantur, definitos iustitiæ distributiue cancellos excedere compelletur, et quemadmodum ad causas, sic ad propositiones Regi faciendas iudicia iam facta domo deferet. Hoc verò,
 quod

quod bonorum ingenium, ac splendorem ob-
 scurat, tu animaduertisti. O te verè lau-
 dabilem, atq. omni prædicatione dignissi-
 mum, qui pios, & innocentes ad dignita-
 tum fastigia prouehendos Regi nominatim
 proponis. Animos addis iuuentuti erigens
 illam, atq. inflammans ad ea totis viribus
 prosequenda, quæ tua oratione commenda-
 ri videt. Hinc verò admirabilis utilita-
 tis fructus Catholico Regi nostro præbetur,
 hinc plurima commoda viri equitate insignes
 adipiscuntur, si hac saltem spe recreentur,
 pro benè factis premium exstare maxi-
 mum: iudicium Principis: nominationem
 Principis. Auri præterea cupiditate ni-
 mium oblectatur iudex, qui peculiari eius au-
 xilio non modo presentes se honores obtinere
 videt, sed etiam longè maiores, ac præstan-
 tiores adipisci sperat. Quo circa cum Ma-
 gistratum virtuti ac Deo acceptum non refe-
 rat, quæ virtutis, & Dei sunt, ac reliqua

omnia auri, & aulicorum praesidio contentus negligit. Verum huic rem ita nefariam cogitanti, & aurum in omnibus sibi praesto futurum existimanti sapientes, ac vera virtute praediti libertatem atq. innocentiam opponunt; cum omnia, vel pretiosissima in terris quaeque nulla ex parte, ut idem Plato censuit, sint cum virtute conferenda. Illudq; Solonis, quasi quoddam oraculum, praemanibus habent: nos virtutem opibus non permutabimus umquam, nec vociferationibus contaminabimur insipientium; cum honestum ex turpi non nascatur. Quin etiam memores sunt dicti, quod Dionysius Milesius in Heliodorum, quem Imperator gratia magis quam vero iudicio ductus epistolarum magistrum designauerat, contorsit: Caesar (inquiens) potest honorem, ac pecunias largiri, rhetorem facere non potest. Et recte; honor enim & caetera virtutis premia non sunt in eius facto, qui adeptus est, sed eius qui dedit, non ita
de

de virtute dicendum, quæ proprijs laboribus paratur. Præclara sanè, & nunquam satis dignè laudata vox Cyri maioris, monens non debere aliquem Principatum tenere, nisi populos sub eius administratione degentes vitæ probitate antecellat. Putauit enim sapientissimus vir, & iure optimo putauit, unicum esse Principis viri munus, ut aliorum incolumitati studeat, & publicis omnium commodis pro viribus consulat. Tu verò, cum hæc intueris (mirum profecto dictu) quàm rectè hominum vita instituitur, quàm suauiter deprauati iuuentutis mores à te componuntur, quanto in honore apud te habentur, qui laurea doctorali insigniti, ac verè iurisperiti, & sapientes sunt, ut ijdem etiam ditionem hanc, quantum ad Magistratus deferendos attinet, sibi potius, quàm alijs non eruditis, & ignaris committendam confidant. Magis nunc elucet virtus, Æquissime Princeps, tuo benignitatis, & iustitiæ brachio cor-

roborata, magisq. ab hominibus ubiq. suspi-
 citur quamuis in tenuibus interdum homini-
 bus reperiatur, qui tamen ex veteri legum no-
 strarum instituto animorum appetitus compe-
 scere, ac sedare didicerint. Vt enim illibe-
 ralibus plurimorum ingenijs lucrum, & vo-
 luptas tamquam ultimus eorum finis statui-
 tur, ita nobilibus, ac vera scientia imbutis
 honorem, & anime salutem, quam omnibus
 mundi oblectamentis preferunt, non ignoras
 esse propositam. Hos igitur vestibis licet la-
 neis oblectos munera vis in Ciuitate obire,
 non modo, ut eorum virtus e medijs quasi
 tenebris emergat, atq. in omnium conspectum
 proferatur, sed ut Regi etiam nostro, & tibi
 eius personam sustinenti inseruiant. Fla-
 uium ego Vespasianum legi, iuuenem quen-
 dam propter dignitatem à se acceptam gra-
 tias agentem sic vultu, & alijs nutibus spre-
 uisse, atq. tam grauius obiurgasse, quoniam ex
 vnguentis, quibus adolescens oblitus erat,
 afflata

afflata suauitas ad Imperatoris naues fere-
batur, ut maluisse se potius alij austeritatem
illum oluisse dixerit, statimq. litteras conces-
sas praeipiendas censuerit. Exsultat popu-
lus uniuersus, & fructum unus quisq. ex
aliena dignitate non paruum capere sibi vi-
detur, cum viros bonos tua prudentia magnos
honores adipisci, & tamquam specimen vir-
tutis, & exemplar integritatis à te ostentari
contuetur, dicitq. sapientissimus Salomon
in multiplicatione iustorum letabitur vulgus
cum impij sumpserint principatum, gemet
populus. Quo circa non vulgi tantummodo
vocibus, quae citò euanescent, sed etiam pru-
dentium virorum, quorum iudicio mira la-
us expenditur, vitae tuae integritas, & pul-
cherrima rectè gubernandi ratio, quam alijs
etiam praescripseris, in perpetuum commenda-
bitur. Pudebit modò aliquos, ingentes
nummorum acervos, omni aequitate posthabi-
ta, construxisse; tennes verò, & inopes ho-
mines

mines voluntaria, et innocenti paupertate,
 cum eorum nomina in Dei conspectu hono-
 rabilia sint, recreabuntur. Non enim nisi
 virtute vincantur honoris gloria se superari
 patientur, atq. ea, quæ inoleuit opinio, ut vi
 pecuniæ dignitates parentur, ab hac nostra di-
 tione prorsus exsulabit; non eritq; quòd exi-
 stimemus præmium virtuti debitum ab am-
 bitiosis hominibus præripi posse, ac tandem
 cum improbis sic agetur, ut flagiosis suis actio-
 nibus se magis dignos honoribus euasuros in
 posterum non arbitrentur. Aristides olim,
 qui iustus cognomine dictus est, procurator
 Fiscus extiterat, ac munus illud licet iustissimè
 obijisset, accusatus tamen, imo etiam damna-
 tus fuit. Cum verò optimatum gratia in
 eadem illum honoris sede denuò collocasset,
 per simulationem sic dignitatem illam exer-
 cuit, ut eam, quam solebat seueritatem in ho-
 mines publica pecunia ditescentes non amplius
 adhiberet. Itaq. eorum ope factum est,

ut populus eandem ei dignitatem tertia vi-
 ce deferret, quam ipse recusauit, inquit:
 quando bene me, ac iuste gessi, condemnastis,
 nunc vero quia equitatis limites pratergressus
 multa Ciuitatis expilatoribus concessi, dignus
 à vobis existimor, qui hoc honore cohesister.
 Quare accersitus à vobis ad hanc dignitatem
 tertio amplectendam magis erubesco, quam
 vestra sententia damnatus. Artes ma-
 las norunt etiam quandoq. viri boni, sed quia
 (ut alibi dixi) honestum ex turpi non oritur,
 ad eas animum non appellunt. Principes au-
 tem scire debent, multa esse commoda, quibus
 magistratum gerentes priuantur, multas mo-
 lestias, ac difficultates, quas iidem subeunt,
 & exorbent, atq. hac omnia non parua illa
 mercede à publico proposita sed leni potius ho-
 noris, & amplitudinis aura compensari.
 Iustus enim Magistratus si nullo alio in-
 commodo afficitur, hoc saltem detrimentum
 patitur ut res domestica propter negligentiam
 immi-

imminuantur, atq. nihil sibi, eò quòd iustus sit
 præter salarium lucri faciat. Huc accedit,
 ut domesticos, ac familiares sibi infensos red-
 dat, cum illis obsequi nulla in re præter equi-
 tatem velit. Itaq. elaborandum Princi-
 pibus, & enitendum est, ut viros bonos, pru-
 dentes, ac iustos dignitatum gradibus illu-
 strent, nullam ferè sibi ex imperio tali, sed
 subiectis potius, utilitatem futuram arbitran-
 tes. Atq. ubi eiusmodi homines nisi, qui
 Principes sunt, sua sponte habita diligenti in-
 quisitione quærant, meritò dici posse videtur,
 ut maiorem pecudum, & armentorum suo-
 rum, quàm hominum curam suscipiant.
 Siquidem illis non pecunia accepta, vel sup-
 plicibus nonnullorum libellis adducti, sed po-
 tius quia à personis non suspectis, quæ hominis
 illius assiduitatem, & in perquirendis armen-
 torum commodis diligentiam planè testentur,
 inuitati, curam illam concedunt. Ille tu es
 Excellentissime Princeps, quem votis om-
 nibus

nibus peroptabamus, quem omnes uno consensu, una eademq; voce flagitabant, et omnes viri boni corpore presentem desiderabant, cuiusq; ad nos aduentus ciuitatem ita consolatus est, ac recreauit, ut vel exigua in ueniendo interposita mora maximum ei dolorem, et timorē incusserit. Squallebat enim, ac prostrata iacebat uniuersa Ciuitas tua in dies procrastinatione languens, non secus, ac mulier in uiduitate consistens, unici filioli interitum lamentatur, & **M A R I A** **G I R O N I A** uxor tua, ac Petri Velez Gironij Ossunæ Ducis olim in Neapolitana prouincia regiam personam sustinentis filia dolet, cūm procul ab urbe peregrinaris.

Illustrissima quippe mulier, et egregij exempli, quā enim modica cultu, quā parca comitatu, quā ciuilibus congressu. Ma riti hoc opus, qui illam sic instituit, ut obsequij gloria contentam efficiat. Quin tu ille es, qui fortunę impetum, quod alijs Gubernatoribus

bus sapientissimis viris non accidit, superasti; cum aduentu ipso, ac nomine, tametsi ad Italiae littora peruenisses, impetus tamen eorum, qui frugum ubertatem oderunt, repressos esse, ac retardatos intelleximus. Ac quo die urbem hanc es ingressus tui unius spe, ac peruagata nominis celebritate tam repente vilitas annonæ ex summa inopia, & caritate rei frumentariæ consecuta est, ut spe duceremur caritate relegata vilitatem hanc, & ubertatem tamquam postliminio redeuntem in ciuitatem reuocatum iri. Quod certè licet laudabile sit, & egentibus hominibus perutile, minus tamen prodesset, nisi quæ ad forum attingent providere, & componere studeres. Exploratum tibi est, parum nobis emolumentum afferre æqua decreta à te celeriter libellis oblatis affixa si deinde ab ijs, quorum exequendorum munus est, mora fiat, & non quanta in eis est diligentia res perficiatur, vel si nesciant (quod magis calamitosum esset) iustum eum

prædicari non posse, qui iuri, ac legibus non pa-
 reat; atq. idcirco magna in hoc Principibus
 cautio est adhibenda; propterea quòd eandem
 calamitatem, & corruptionem patiantur re-
 gna iustitiæ splendore orbata, quam corpora
 animabus priuata subeant. Quare si glo-
 riosum est Principi iustorum, & honestorum
 iudicum corona undiq. constipari, ignomi-
 niosum etiam esse videtur malorum homi-
 num, & vitiorum labe maculatorum cater-
 ua sepi; quandoquidem magna, & arri-
 dens fortuna habet hoc præcipuum, ut nihil
 tectum, nihil occultum esse patiatur, & Prin-
 cipum non modo domos, & cubicula, sed ma-
 xime secreta cuiusq. loci penetralia perlustret,
 omniaq. arcana publicè cognoscenda propo-
 nat. Quamobrem cum populus iniquos iu-
 dices Principem comitari aspicit obmutescere
 non potest, sed unumquenq. digitis designat
 alium nummis, vel alia re turpi magistra-
 tum emisse, alium pecuniam pro caussa,
 quam

quam præ manibus habet, accepisse confir-
mans; ita, ut si Principes in habendo Ma-
gistratum delectu falluntur non parum etiã
in non deserendo eorum comitatu decipiantur;
eo quòd Rempub. is offendit, qui scelera alio-
rum, ac vitia castigaturus, sceleratos sibi in
via comites admittit. At tu cui nihil ad
laudem aptius fuerit, quàm penitus inspicere,
quàm videri simul cum eis esse, quos ad re-
ctam Reip. administrationem aptos præponis,
hilari fronte si veniunt excipis. Quòd si
quid est, quod eos quasi magis necessarium do-
mi detineat, excusati apud te sunt, neq. um-
quam excusandi. Prudentia enim tua, quæ
omnibus in rebus maxima enitescit, quamvis
moneri te non requirat: cum tua sponte in-
flammatus animum aduertas ad omnia, ta-
men neq. etiam dubius sum, quin superadditi
remi cursum velocem adhuc velociorem effi-
ciant. Ac strenuus equus incitato cursu ad
honorum palmam tendens ubi tubarum clan-

gones illum incitantes exaudit ad incitatio-
 cursum instituendum impellitur. Neq. me-
 latez summos gubernatores in turbulentis un-
 darum fluctibus nonnunquam ab ijs, qui ve-
 huntur, admoneri solere. Imo vero qui te
 aliquo exornationis genere laudat, virtutem
 laudat, atq. ego in tuis operibus, quæ omnia
 virtutem redolent, et ab omnibus in hac præ-
 sertim Ciuitate tamquam honore completa
 suspiciuntur, enarrandis maximam capio de-
 lectationem, qua etiam perfundetur IGNI-
 CVS. Comes Hari, charissimus tuus filius,
 qui quoniam mentis acie contemplatur valde
 in terris honorabile esse parentem summo ho-
 nore, singulariq; virtute ornatum obtinere,
 multò etiam honorabilius esse videt eum imi-
 tari, ut facit; et quamuis atate adhuc sit
 adolescens, dignus tamen à Rege iudicatus est,
 qui secretis huius ditionis consilijs intersit.
 Aiebat Themistocles nullius esse vocem, quã
 libentius exaudiret, quàm eius, à quo sua vir-

tus optimè prædicaretur. Tu autem dictum
 hoc immutare, & eos, qui voce, vel scripto
 aliqua de re, te prudenter monent, libenter ex-
 cipere soles. Si quidem nemo est tam lyn-
 ceis oculis, ut videre omnia possit, cum neq;
 Argus ipse, quem poeta oculorum plenum ef-
 fingunt, versutam hominum astutiam euita-
 re non valuerit, aut etiam si insigni solertia,
 & perspicacia sit, non aliorum admonitioni-
 bus iuuetur. Regimur à te, qui, ut rectè
 regamur legibus latis nos regi cupis: Optant
 omnes, quibus Ciuitatis incolumitas, & liber-
 tas cura est, tibi ex veteri legum instituto con-
 suli; cum Reip. salus teste Aristotele legum
 presidio nitatur. Effractis enim legum re-
 pagulis nihil cuiquam certum esse potest, quid
 suum, quid alienum sit. Quamobrem, ut
 in hominem in publica crimina lapsum cuius
 inuehere licet, sic pro Rep. laboranti quiuis etiã
 opitulari tenetur; nec à se alienum existima-
 re debent singuli, quod omnes tangit. Hoc

nimirum

nimirum est illud, in quo Principes si boni sūt, tamquam in speculo ea, quæ Reipub. utilia sunt, contuentur; sin mali, quomodo Reipub. gubernaculis præesse debeant, intelligunt.

Nunc verò quoniam Bruletum, & Navigiorum ripæ (sunt enim hæc loca ad comparandas vehendasq; fruges ordinata) plena sunt frumento, siligine, milio, farina, oriza, & quouis alio legumine ad vitæ sustentationem necessario, & quoniam bonos, ac prudentes iudices eligere non desistis, omnia rectè nobiscum agenda esse, & felicem finem habitura, qui dubitet, nemo reperitur. Nunc rustici sponte deuehunt, quod terra genuit, quod sydus fouit, quod annus ipse tulit, sed nemo etiam dubitat, quin prudentibus, & optimis iudicibus constitutis, ea etiam tempora sint rursus consequutura, quibus pauci scribæ, & coadiutores in officijs criminalibus sufficiebant. Quibus quidem temporibus iuxta normam iurium huius Ciuitatis, à qua reliquæ ei subiectæ exē-

plum desumunt, de querela admittenda prius
 decernebatur, quàm procederetur. Id verò
 nunc non fit, & ad scribam ab accusatore de-
 lectum deferuntur quærelæ, quæ si turpes sint,
 turpis etiam scriba excerptur, turpisq; aduo-
 catus adiungitur iuxta illud Quintiliani di-
 ctum: Improbis aduocatus malæ causse ar-
 gumentum; cum tamen ad iudicem spectet
 scribæ electio, quæ si fieret proculdubio non ita
 facile secreta causсарum aperirentur. Fit
 enim per sepe, ut is malus scriba, qui suis com-
 modis omnia metiens nefaria hominum ad-
 ministracione delectatur, malum caussidicum
 qui dicat: da, profunde, oppone si velis vin-
 cere, ad agendas, defendendasq; causas pro-
 ponat. Eum verò, ut in partis detrimen-
 tum obtineat, polliceri non erubescit ei se totius
 causse arcana patefacturum, & aliam rem,
 quamuis illicitam concessurum. Quin etiã
 non tam frequens esset eiusdem facti apud di-
 versos iudices altercatio, & quis in querelis
 porri-

porrigendis prior temporis ordine fuerit. La-
 borare me hercule deberent iudices in habendo
 scribæ delectu, & iuxta negotiorum, & per-
 sonarum diuersitatem scribas, cum præcipue
 inter plures optio detur, immutare. Atq.
 ubi omnes scribæ curiæ probabiliter diffidentes
 essent, & idcirco malefactorem certiozem de
 arcanis causæ reddi posse iudices suspicaren-
 tur, alius tunc iudicibus scriba, qui negotium
 illud pertractet, extra curiam querendus es-
 set. Dolendum nobis etiam est, testes, qui
 in loco iudicij mouentur eo saltem timore, quo
 singuli causas perorantes, cum in eum locum
 producti sunt, extra locum ipsum iudicij, &
 absente iudice à scribis dum ad uisenda deli-
 cti signa se conferunt, & alibi persæpè recipi.
 Crescit uerò suspicio, cum ignotos admittunt,
 ac cum non in libro ob signato, sed in folijs ex-
 tra vagantibus, & absq; subscriptione, uel ali-
 quo ipsorum testium signo eorum dicta descri-
 bunt, eaq; descripta coram productis testibus

antequam recedant (hoc tamen etiam in ipso
 loco iudicij factitari solet, & male) *minimè*
legunt. Hinc enim testes falsi, qui (ut in-
 quit sapiens) derident iudicium, facile indu-
 cuntur. Hinc quandoq. non quod testes
 dixerunt, sed quod scribe visum fuit describe-
 re pro testimonio censetur. Profectò ubi in
 scriptis dimissus est aculeus, iudex ab eo non
 facile remouetur. Sed ne decretum quidem
 ullum conficiebant iudices, nisi omnia ab ip-
 sis visa, & considerata fuissent. Sæpe enim
 sola querela perlecta procedi non posse cerni-
 mus, ut quando accusator ineptè experitur,
 vel patente calumnia moueri videtur, vel
 ex forma agendi sibi non dari actionem co-
 gnoscitur, vel quando aperta rei excusatio cõ-
 tinetur, quod potissimum contingit in accusa-
 tionibus de turbata possessione, de vnione, &
 id genus multis, super quibus elogia sceleris im-
 positi indicatiua, à nobis processus informatiui,
 vel offensiuui vocata, lōga fiunt, quæ ne inchoa-
 rentur

rentur quidem si accusationes à iudicibus viderentur. Per sepe etiam conspiciamus testes ad crimina detegenda examinatos falsitatis dicende suspitione non carere, imò interdum rei innocentiam ostendere, quam potest, et debet iudex ex officio ab ijs etiam, qui non producantur in iudicium, inquirere, et an res originem ducat à contractu, vel quasi, vel alia readumbrata, quæ criminalitatem impediatur, videre; uti omnes iurisperiti communiter sentiunt. Verùm cum iudices querelas non videant, neq. processibus conficiendis intersint, qui scriptura prepositi sunt, quorumq; auctoritas latius, quam par est, se se effundit, ita potestatis suæ nervos penes iudices rerum ignaros exercent, ut illorum magis, quam iudicum benevolentia, maiorem utilitatem afferre videatur; ubi verò querelas iudices legerent, ac si ipsi, vel qui eorum vices suppleant, aliquem in eis admittendis laborem insumerent, præter supradicta, quæ ab eis consideran-

da nuper meminimus, hæc etiam, si qua pro-
 bitatis laude vigent, meditentur, quod vi-
 delicet crimen, quæ causa fuerit. Considerandum præterea illis esset, non omne, quod à
 veterè bonorum morum consuetudine recedit,
 ubi quis non ledatur, nec scandalum sequa-
 tur puniri, imò, (quæ mira eorum laus esset,) non solum mente sæpius agitare deberent, an
 in delictorum numero sit illud recensendum, sed etiam an lex poenam in eos, qui illud ad-
 miserint, expressè alicubi constituat, magna
 adhibita industria perquirere. Si quidem
 superstitiosus non est inuentionibus præsumen-
 dum, quod lege expressè sancitum non est.
 Videndum, ac ponderandum illis esset num
 deferentis nomen, & cognomen appareat, &
 rursum accusantis animus æqua, (ut aiunt)
 statèra librandus. Quòd si ex officio pro-
 cedere liceat, cum inquisitio sit alicuius cri-
 minis manifesti ex bono, & æquo à iudice
 competenti canonicè facta inuestigatio, non
 esset

esset cur pro occultis se impudenter intrudant,
 nec pro leuibus negotium alicui faceßant; cum
 id non videatur fieri ex bono, & equo, sed
 ut marsupia potius quàm delicta inquiran-
 tur: sed ne ipsorum quidem Fiscalium notifi-
 cationibus esse innitendum duxerint; tandem
 verò solicii esse debent, ut omnia suo ordine
 fiant. Scribas ergo bonos tu perquiri iubes,
 & rectè; quoniam id & salutis omnium ra-
 tio, & veritas omnium postulat. Atqui
 bonis adherere quàm utile sit, & ijs præcipue,
 qui Magistratus, & imperia gerunt, nobis
 optimè commōstrauit Scipio Africanus. huic
 enim blandiens quidam homo, ut præfectu-
 ram sibi in Africa decerneret, & id cum non
 assequeretur, agrè ferret, hoc habuit respon-
 sum: ne miraretur, si expetitam à se digni-
 tatem non obtineret, cum ipse ad multos antea
 dies alium quæsißet, cui propria laus cara fu-
 tura esset, quod adhuc impetrare nequiuerat.
 Docuit hoc idem Sebastianus Venerens, qui
 classis

classis Venetæ cum immortalis eius laude præ-
 fectus fuit, cum anno M. D. LXXI. de
 Turcis victoria reportata fuit. J̄s enim
 (uti sæpius, dum in gymnasio Patauino iuri-
 ciuili operam darem, dicere audiui) cum ab
 Excelso Senatu illo Veneto Verona Ciuita-
 tis Prætor designatus fuisset, & in ea Ciuitate
 sciret multas exstare similtates, & inimici-
 tias, clara voce, ut omnis concio audire pos-
 set, dixit, se munus illud obiturum non esse ni-
 cum Tiberio Deciano olim præceptore meo,
 egissent Senatores, ut secum latrunculator
 proficisceretur. Itaq. requisitus clarissi-
 mus ille Iurisconsultus, qui tum Venetijs ma-
 gno cum honore in causis, iudicijsq; publicis
 versans plures defendebat, onus non recusa-
 uit. Atq. ea in re ita egregie se præstitit, ut
 postea meruerit, tamquam in portum tutiorem
 eodem Venetio fauente ad leges, quæ crimina
 puniunt interpretandas in nuper dictum gym-
 nasium Patauinum euehi. J̄bi verò ob
 fama

famae celebritatem, & morum honestatem, atq. dicendi copiam tanto auditorum numero in extraordinaria illa sede cinctus erat, ut longè, qui ordinariam profitebantur, superaret. Libenter, Princeps, hæc exempla refero, ne in errorem incurrant ij, qui per saltum ad suprema tribunalia euehuntur. Si quidem offensione iudicij, quòd ipsi praxis criminalis, & disceptationum in ea contingentium ignari sint, credunt unumquemq. modo nomen iurisperiti emerit, vel aliqua ingenij acie, arteq; in litibus ciuili modo duntaxat pertractandis floruerit, subito ad latrunculitoris munus idoneum esse, ac cæteris, qui in hisce iudicijs capitalibus se exercuerint, anteponendum. Etenim si Q. scauola, cum de iure prædiorum consuleretur, consultores suos ad Furium, & Cesellium prædiatores reijciebat; Si Cicero pro aqua tusculana M. Tugionem potius, quàm C. Aquilium iurisperitissimum consulebat, quòd usus circa unam aliquam

aliquam rem diligenter adhibitus ingenium,
 & artem saepe vincit; quis dubitet consilio, &
 ratione eos deficere, qui in hisce capitalibus iu-
 dicijs versatum, cum de eiusmodi rebus agitur
 anteferēdū non sentiunt. Sed eò libētius hęc
 refero, ut tuā virtutē, et diligētīā esse coniun-
 ctā cum veteribus, ac recētibus præclarissimæ
 virtutis exemplis gaudeas; utq; vice versa
 intelligant iudices, familiaritatem cum malo
 homine esse argumentum male intentionis,
 ut meminerint Propheta dicentis: cum ma-
 lo malus eris, & cum peruerso peruerteris:
 Profectò si mali sunt, qui scripturā conficiunt,
 non parcunt calamo omnia congerunt; cum
 nihil aliud, præter quæstum æstiment, nec maio-
 rem virtutis curam habeant, quàm mendici.
 Inde verò fit, ut persæpe hæc eorum scriptura
 varijs vicis, & inuolucris referta esse com-
 periat. Et id quidem facilius accidere
 videmus, cum de scaccho, quod lex longobar-
 da scalchum vocare videtur, vel de furto,

aut de turbata possessione agitur, & res originem habere à contractu, vel quasi cernitur.

Itaq. scribe hac effrenata licentia, quam in querelis non admittendis, & processibus haud conficiendis insolitam sibi usurpant, ne tempus frustra contriuerint, Judici persuadent, ut ea putet esse delicta, quæ non sunt, & præhensiones quas capturas vocant, quæ admittende non essent, concedat. Rursus id pessimè agunt, & delatum sic iniquè opprimunt, ut eius bona, licet hanc pro delicto patrato pœnam expressè Constitutio non imponat, adnotari Fisci nomine curent. Quòd si Constitutio eam bonorum iacturam minetur, adhuc tamen in ea intelligenda decipiuntur, quippe qui nesciant eandem Constitutionem de delicto consummato intelligi debere. Imò verò eam à se magis ignorari declarant, cum eos casus, quando videlicet delictum non dolo, sed culpa, vel casu commissum fuerit, quando vulnus unicum lethale fuerit, & incer-

ius quifnam illud inflixerit, excipere nesciunt.
 Hæc vero singulorum bonorum facta adno-
 tatio ubi contigerit, quibus expensis, quantis
 ærumnis vexetur reus nouit optimè Senatus,
 qui ob supplices libellos ei quotidie à reis porre-
 ctos bonorum adnotatorum, quibus se iure de-
 fendant, partem eos capere permittit, & si re
 ipsa tandem sequatur bonorum publicatio à
 Iudice, quod est contra iuris dispositionem,
 nulla damnorum, quæ pars aduersa patitur,
 ratio habetur. Itaq. intelligis, Princeps,
 ex negligentia, seu ignoratione Iudicum, de-
 creta, imperia, bonorum adnotationes, inqui-
 sitiones, scribarum arbitrato fieri. Qui qui-
 dem mali scriba cum per largitionem alicuius
 ex ijs, qui rebus capitalibus præsent, munus il-
 lud adepti sint, dant operam, ut ita potesta-
 tem ab ineptis iudicibus sibi relictam gerant,
 ut rem familiarem exinanitam expleant.
 Quod quidem præsertim sibi accidit cum iu-
 dex negotij gerendi inscitia tale conscribit de-
 cretum:

cretum: capiantur indiciati, vel quando scriba confisus leuitate iudicis ante obfignatum capiendi decretum delatos ipse capi curat, & postmodum testimonijs præcipitatis, & falsitatibus nonnullis interiectis decretum à iudice absq. appositione diei, ut illam, quæ retrò respiciat, ipse ponat, subripit. Inde verò ipsis delatis carcerationes iniustæ contingunt, ex quibus infamia, dispendia, & quandoq. interitus eis maxime, qui molliter enutriti corpus habent debile, & valetudinarium, accidere solet; cum ij vel minima mutatione extrinsecus iniecta in morbos incidant. Quòd si finem aliquem ultimò sortiuntur fit per sepe quod Poeta cecinit.

Parturient montes, nascetur ridiculus mus.
 Neq. admiratione caret, quod fieri aliquando conspeximus, ut captura, licet commissum fuisse delictum non constaret, nec aliqua eius suspicio subesset, ad solam querelantis, qui erat submissa persona, & vitæ deploratæ,
 volun-

*Voluntatem concederetur. Et quamuis in
 ea admittenda captura iudex decreuisset, de-
 latorem sumptus à reo faciendos, si statim,
 quod intendebat, non probasset, persolvere, ip-
 se autem rem in longum protraheret, ac demū
 latitaret, carceratus intereà, quia pecuniam
 hospiti, & custodi distribuendam non habe-
 ret, minime dimittebatur. Hac verò in re
 iudex, qui nummos suos ad hominis pauperis
 liberationem, ut æquius fuisset, conferre nõle-
 bat, satis consultum putabat esse detento, si ac-
 cusatoris, vel eius fideiussoris bona, capi pi-
 gnori iuberet. Intereà tamen detentus, cui
 expectandum erat Iudicis præceptum actua-
 lem effectum sortiri, languebat, & nouis quo-
 tidie sumptibus alijsq; plurimis incommodis
 honoris etiam periculum inferentibus, auge-
 batur. His ergo malis, si periti erunt iudi-
 ces, si leges, & iudicia non neglexerint, occur-
 rent; cum iudicis sit, pauperibus semper faue-
 re, eosq; ab omnibus molestijs, quibus iniuste*

afficiuntur tutos, atq. incolumes seruare, quod
 ubi egerint iudices, sibi apud Deum eleemo-
 sine loco compensabitur. Quod verò ad
 huiusmodi capturas attinet, ne quid incautè
 fiat ea potissimum meditabuntur Iudices, quæ
 hisce verbis includuntur.

Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quo-
 modo, quando,

Præterea cum capientur, omnem pecuniam,
 vestes, arma, & reliqua, si quæ habuerint,
 qui in carcerem intrudentur, alicubi tutò cu-
 stodiri mandabunt, eumq; locum duabus cla-
 uibus muniri curabunt, quarum alteram pau-
 perum Protectores obtineant, custodes alte-
 ram, ut ea qualiacunq. sint, neq. executores,
 vel custodes, vel ceteri ministri subtrahere
 possint, sed vel ipsis detentis, si inde exierint,
 vel eorum saltem heredibus, vel illis, quibus
 à iudice adiudicata fuerint, integra, & inta-
 cta, prout Laicos Magistratus ad ita agen-
 dum hortatur Sacra Synodus provincialis,

D

asseruen-

asseruentur. Quin aduersus illum, qui excipit, rem à contractu, vel quasi originem ducere, se duos nō præstabunt Iudices; propterea quòd delictum illud in iudicium delatum non fateatur. Si quidem potest quis diuersis, & contrarijs exceptionibus uti, atq. à veteri praxi, præsertim cum verbis iuris nostri civilis, quæ sunt hæc: asserto delicto: innitatur, recedendum non est. Imo verò neq. etiam Iudices possunt eum, qui indulgentiam à Principe impetrauit, ad confitendum delictum impellere. Itaq. cautè agendò satis erit si delicti mentio per verbum assertiuum fiat. Sed etiam captis ob leue delictum durum non assignabunt carcerem, & assignatum nominabunt, ut, ubi detentus fuerit, sciatur. Ac illos, qui ob leuitatem indiciorum rei constitui nequibunt, non de crimine, sed de solis circumstantijs interrogabunt, & si ex responsionibus nulli culpæ se affines fecerint, nec tempore ad indicia aduersario submini-

stranda constituto quid mali superuenerit, eos absq. fideiussione dimittent. Quod si id prestare noluerint, eosdem fideiussione prementes aliquam ab eis pecuniam ratione processus, & vel examinum excuti non sinent. Et ubi dimissi fuerint, eos, & vel fideiussores à scriba, qui processum edere studet, non permittent aliqua molestia affici. Occultum peccatorem, ut D. inquit Ambrosius nostræ huius Ciuitatis protector, tamquam se ipsos adamabunt, neq. promulgabunt, & vel interrogabunt, ne fortè in peccatum incurrant. Dum enim iudices parum considerate nihil non agunt, ut per fas & vel per nefas crimina vera, & vel falsa, iustè, & vel iniustè sciantur, & puniantur, quo sibi famam crudelis quæstoris lege repugnante acquirant, ob eorum fortè peccata, inquit Nauarra, permittit Deus, ut quibusdam in locis eò plura delicta patrentur, quò plura iniquè puniuntur. Si verò aliqua indicia, quibus interrogari reus possit, extent, eius prius inter-

rogationem, uti Rex iubet, describendam curabunt. Neq. illum fraude interrogabunt, cum interrogationem huiusmodi faciens veritatem ex illius ore extorquere (ut D. Hieronymus inquit,) non mereatur. Præterea rationem etiam eorum sibi habendam putabunt, alioquin facile est interrogatum quamvis nullius criminis conscium aliqua in re vacillare. Rursus si scriptor aliquam diligentiam adhuc adhibendam esse dixerit, tunc iudices fraudem carcerato posse fieri dubitabunt. Quamobrem eius rei necessitatem considerabunt, et processum aspicientes diligentissimi erunt, ne testes, vel reus inter eam carcere detenti intereant. Quinimò instantiam à foro in hisce causis criminalibus explosam, saltem ad perficiendum processum offensivum recipi volent. Etenim quia non profertur citò contra malos sententia absq. timore ullo filij hominum perpetrant mala, ut inquit Ecclesiast. Neq. verò tantam adhibebunt

bebunt festinationem, ut processum ipsum una
 die, vel nocte absoluant. Quin etiam in
 ipsa festinatione non tantam suscipient celeri-
 tatem, ut poenam fatenti cuiquam sine cir-
 conspectione aliqua, & accurata considera-
 tione an ille probeb errorem, vel factum abso-
 lutè, aut assumptiuè defendat, imponi velint.
 Sed neq. tormenta inferent unquam testibus,
 vel reis, nisi etiam pro comperto habeant,
 reum principalem poena corporali puniri pos-
 se; ne grauior sit modus probandi, quàm possit
 esse sententia ferenda. Nullis præterea eo-
 rum funiculo torquendis taxillum ferreum
 neruulos cum brachio manum arctissimè con-
 nectentes summo dolore protendentem adiun-
 gent, quippè qui non ignorent hanc rem im-
 manitate barbaram esse, ac legibus, iurique no-
 stro ciuili ignotam, et ipsi Regi inuisam.
 Atq. ut paucis plura constringam diligenter
 animaduertent, ne interlocutoria definitiua
 grauiores esse possint. Quin etiam adue-

niente reo fideiussorem offerente, ut eius capiendi facultas satellitibus adimatur, vel si eum, ut se defendat è carceribus exire patientur, non amplius dicent de se constituendo, vel redeundo termino dierum &c. sed, ut aliàs fiebat, de non faciendo fugam, & de se constituendo, vel redeundo toties quoties &c. Si quidem ubi fideiussio est de redeundo ad certam diem, fit, ut si reus adueniat, an id Iudici tunc opportunum futurum sit, ignoretur; si verò non redeat quandoq. ex hac interlocutoria maius damnum reus capere possit, quàm ex ipsa definitiua esset passurus. Supplicum libellorum numerus animum tuum, Princeps, non vexabit, cæteriq; libelli ad Senatum deferendi aliqua ex parte intermittentur, si Iudices reorum constituendorum, & formandarum inquisitionum, quando iure formari nequeunt, auiditate non tenebuntur, ut cum suspicio tantum, non verò delictum, nec legitima exstant indicia. Sensit morbum hunc

Camillus

Camillus Trottus. Senator, acutissimi ingenij
Vir, cuius in animo cogitationes versantur
egregia, à quo facta emergunt praclarissima.
Is enim in Senatu auctoritate, qua pollet, ita
contendisse fertur, ut postea Senatus, ne ma-
lum hoc longius serperet, suis rescriptis pluries
prouiderit. Ac id ipsum compressit Sena-
tus licet apud Praetorem Cremonae, qui Sena-
tor est, de re admodum graui ageretur: Huius-
modi etiam molestiarum fluctus reprimuntur,
quando de exsulum receptatione, aut consilio
dato, auxilioe eisdem allato ageretur, nec aliud
erit, quo delictum innotescat, quam simplex
eiusdem exsulis testimonium, & adsit ius mu-
nicipale, quod nos habemus, ut bannitus
propter maleficium non admittatur ad testi-
monium. Quod quidem ius, et an huius-
modi receptationis, & consilij auxiliijq. por-
recti crimen scienter admissum fuerit cogi-
tatio facile à iudicibus iniquis abijcitur, quia,
quò plures eiusmodi negotio inuoluuntur, qua-

Stus eò uberior, et) amplior extrahitur. Itaq.
 eos toto coelo aberrare dicemus, qui hunc exsu-
 lem contra alios torquent, & eo magis ubi
 taxillum adiungunt, quia tunc facile eum
 potius mentiri, & prout suggestiue (licet po-
 stea suggestio illa pessimè à quibusdam non
 scribatur) vel prout ab alijs audiuerit creden-
 dum est respondere. Sed non est qui non
 intelligat, eos, dum parui momenti crimina
 extollere student, delinquentium potius cru-
 menas, quam crimina respicere. Quod sa-
 nè vitium etiam in aduocato reprehendit
 Martialis, quem deridet his versibus.

Non de vi, neq. cæde, nec veneno,

Sed lis est mihi de tribus capellis,

Vicini queror has abesse furto.

Hoc iudex sibi postulat probari.

Tu Cannas, Mithridaticumq; bellum,

Et periuria Punici furoris,

Et Syllas, Mariosq; Mutiosq;

Magna voce sonas, manuq; tota.

Iam

Iam dic, Posthume. de tribus capellis.

*At verò boni iudices inquisitionis formã-
de laborem non euitabunt, vel saltem decre-
tum clarum, quo sceleris, ac delicti titulus ex-
primatur, conscribent. Atq. hoc pacto res
auferetur ab arbitrio scriptoris, quod non fit
quando iudex huiusmodi affingit decretum:
Formetur inquisitio contra indicatos. Qua-
mobrem à scribis in inquisitionibus formandis,
à iudice verò nisi in prædicto decreto, et ob-
signanda inquisitione laboratur. Cum ta-
men delicti titulus, qui non à querela, sed à te-
stificationibus erui debet, ipsius inquisitionis
forma sit, ac substantia. Atque ne iudex
cum alieno discrimine vagetur, ponendus est
titulus, et sciendus, ut quo tendat Fiscus
animaduerti possit. Nam cognitione no-
minis lex quoq. castigans dignoscitur, et ad
legis cognitionem pœna etiam innotescit.
Itaq. hoc proprium iudicis munus est, cui ma-
ximopere aduertendum videtur, qua lege*

reus

reus citetur, de quo reo cognoscat, ~~et~~ quæ res in
 disceptationem, & controuersiam cadat.
 Multa re vera sunt, quæ notariorum, & coa-
 diutorum intelligentium fidei committi pos-
 sent, verum ne in locis publicis, & ubiq̃ iu-
 dicum laus imminuatur, committenda non
 sunt. Quod si notarijs, ac scriptoribus fidelibus
 aliquam formandarum inquisitionum, &
 aliorum actorum præiudicialium facultatem
 præbebunt, ipsi antequam subscribant, quæ ab
 illis confecta fuerunt quanta maxima pote-
 runt diligentia, an indicatijs idoneis fulciantur,
 considerabunt. Si quid autem ab ipsis, vel à
 scribis peccatum fuerit, corrigi errorem à te,
 vel à Senatu non expectabunt, sed ipsimet
 soli, si poterunt, aut Præsidis Senatus consen-
 su maiori quæ ualebunt cautione, quod ma-
 lum esse sentient, reuocabunt. Et quod ma-
 gis refert, non ita pertinaces erunt, ut in sen-
 tentijs etiam ferendis, quia reus non compa-
 reat, labi uelint. Atq̃. ideo posteaquam
 liquido

liquidò compererint, reum esse innocentem, non eum ad carcerem reuocabunt, nec eius fideiussorem umquam fatigabunt, quamuis aduersus alios, qui eiusdem criminis arguantur definitiua apud Senatum relatione agendum sit. Sic enim se gessit Jacobus Franciscus Gambarana, olim celeberrimi nominis Senator, cuius factum, uti exemplum ad imitandum, cum esset ille vir Asylum iuris (ut te intellexisse arbitror) libenter propono. Quin non ita velociter decisionem in digestis perquirent iudices, nisi prius ius nostrum ciuile digesserint, ac primò processum totum perlegerint, ut sic deinde plenam, & perfectam facti, ac iuris notitiam assequantur. Quin etiam habita eorum, quæ in iudicio gesta sunt, cognitione, non prius ad ius nostrum, vel commune confugient, quàm semet colligant, ut incerta pro certis existimanda non esse ducant, nihilq; magis siuè absurdum siuè temerarium iudicent, quàm, quod coniecturis præcipuè constet,

stet, id necessarium esse velle. Non amplius carcer tot homines squalore, ac moerore perimet, si, cum verba legis electionem Iudici, vel Fisco non tribuunt, non prius ad fiscum mittentur condemnationes earum pœnarum, quæ alternatiuè sunt eculei, aut pecuniæ, ut in casu prohibita executionis ex caussa ciuili, vel pecuniaria, etiam criminali, quàm reus ipse pœnam pecuniariam elegerit. Nefaria enim consuetudo apud aliquos nuper recipi videtur, ut iudices, quamuis iuxta verba legis alternatiuè quem condemnent, statim tamen non facta à reo electione condemnationem ad Cameram mittant. Inde verò quasi iudex pœnam illam pecuniariam elegerit, damnati facultates Camere nomine apprehenduntur, fiunt deinde eiusdem Camere nomine proclamata trium, & sex mensium tempore his, qui condemnati creditores se esse, velius aliquod in bonis habere putant, assignato. Interea verò miseri carceribus in-

clusi

clusi contabescunt, & nisi demum ad eam
 pecuniæ exsoluendæ pœnam non idoneos se esse
 docerent, iisdem perpetuò detinerentur. His
 enim, atq. alijs innumeris incommodis mise-
 rabiliter oppressi ciues iniquissimo fœnore ver-
 suram sæpe facere, tandemq; bonis suis dece-
 dere, & cum fame, licet magna sit ubertas,
 litigare coguntur. Opinantur illi iudices,
 optimos rerum publicarum administratores se
 esse, si aliquam semper fisco afferant utilita-
 rem, sed mirum, cum fiscus abundet, ubi su-
 biectos habet locupletes; cum quicquid habet
 populus, id boni Principis esse videatur.
 Mira profecto res, Princeps, atq. omninò ad-
 mirabilis, ut multa perniciofa, multa pestife-
 ra inuehantur, eaq; simulata quadam, & fi-
 cta utilitatis specie conturbentur, quæ ita per-
 spicua sunt, & omnium sensibus patentia, ut
 qui ea non videt, nihil prorsus cernat; Ad ea
 qui sedulò non aduertit, Princeps, nihil peni-
 tus animaduertit. Videant illi, qui hæc in-
 troducunt,

troducunt, vel introduci sinunt, ne huiusmo-
 di laqueis ad aliorum ruinam protensis pro-
 pria ipsorum soboles, aut alij sanguinis, & ami-
 citiae vinculo adnexi irretiantur; nè ue de ip-
 sis loquatur Jsaïas, cum ait: *Uè, qui con-*
dunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam
scripserunt, ut opprimerent in iudicio paupe-
res, & vim facerent causse humilium populi
mei. Mirum item est, ut id, quod aliquã
 utilitatis, vel exiguam speciem præ se fert,
 licet ab honesto, quo virtus nititur, longè di-
 stet, absitq; plurimum, nonnulli adeò ample-
 ctuntur, ut illud quandoq. Regio quodam, si-
 ue regnandi iure somniato, quod legibus con-
 scriptum esse negant, fulcire non erubescant.
 Etenim horum iudicum iniuria cernere licuit
 dolere quamplurimos, flebiliq; & ea non in-
 interrupta lamentatione demersas leges deplo-
 rare, quòd colonum, quòd alium quemuis ma-
 gna cum innocentia operantem pro domino,
 qui à iurisdictione seculari exemptus esset, car-
 cere

cere puniri viderent . . . Atq. alij clam in
 angulis inter se conquerebantur opibus, ac po-
 tentia perterrefactam libertatem iacere, &
 egenum usuraria prauitate à creditore bene-
 numm^oato oppressum, quòd legis ope apud eccle-
 siasticum iudicem experiretur, plecti. Quo-
 circa hisce inferioris ordinis iudicibus cauend-
 dum esset, ut in eiusmodi tricis si non aucto-
 ritatem, at saltem exemplum amplissimi Se-
 natus, qui nisi patentem valdeq; perspicuam
 aliquorum calumniam cognoscat, se non in-
 trudit, sibi præponant Iudicis quippè munus,
 eo quòd tota eius vis à legū virtute desumpta
 leges respiciat, ac Regi tamquam ministra in-
 seruiat, Regiæ Maiestatis amplitudine ad-
 modum superari constat. Si quidem iudex
 ad normam legum ab ipso Rege latarum om-
 nia dirigens, quæ occurrunt singula iudicando
 definit; propria animi virtute imbutus, cuius
 ope neq. muneribus oblectatur, neq. minis per-
 terretur, neq. misericordia mouetur, neq. tan-

dem

dem odio, vel amore ad mutuas accusaciones
 præter legum præcepta dissoluendas pertrahi-
 tur. Porro, ut est Xenophontis sententia,
 leges non modo parere, sed imperare etiam do-
 cent. Profitetur Imperator se legum vincu-
 lis solutum secundum leges viuere velle. Et
 Iosiam verum fuisse Principem sunt, qui di-
 cant; quoniam oblato ei diuina legis per Moy-
 sem tradita libro, atq. ad longum tempus de
 hominum memoria deleta, à nullo legem, ac
 veri Dei cultum seruari videret, præ animi
 tristitia vestes infringens, verba hæc furoris,
 atq. horroris plena protulit: Magna ira Dei
 succensa est contra nos, quia non audierunt
 patres nostri verba libri huius, ut facerent
 omne, quod scriptum est nobis. Itaq. hoc
 ius, quod Regium, siue regnandi asseritur, ubi
 à lege Christiana seiungatur avaritiam po-
 tius, & immensam dominandi cupiditatem,
 atq. libidinem, qua, neq. Diuini, neq. huma-
 ni quicquam iuris seruatur, quis non dixerit
 indicari?

indicari? Quis non perpendet, Princeps, illud Euripidis dictum eò spectare: si violandum est ius, regnandi causa violandum est, in cæteris iustitiam colas? Ex quo deinde facillimus ad omnia vitiorum genera aditus aperitur. Peruetus enim illa Ethnicorum providentia à Christianorum animis abesse debet; cum illa veritatis luce illustrari nequiverit; quando CHRISTUS ipse veritas est, nec bonum aut videri, aut intelligi potest, nisi veritate administra. Verùm licet vetustas illa densis ignorantia tenebris obruta esset, adhuc tamen sapientiores, ut Regnorum termini dilatarentur, quid inhonestum admitti noluerunt; ideoq; ab Aristide, & ab alijs Atheniensibus Themistoclis consilium per utile quidem, sed inhonestum accipi minime potuit. Apud Romanos infinita recensentur exempla; Quintus enim Fabius Labeo, cuius exemplum in re clara sufficiat, cum pænes Nolanos, & Neapolis populos ar-

E biter

biter de finibus utriusq. populi à Senatu destinatus esset, eius iudicium, quoniam ab honesto recedere iudicatum fuit, quamuis publicam aliquam utilitatem importare videretur, publica omnes auctoritate repudiarunt.

Exstant apud CAROLVM V. Imperatorem Regis nostri parentem posteritatis memoria dignum, & apud Regem ipsum innumera istius generis exempla; cum ij quàm plurimas ciuitates, non nullas prouincias, ac regna dimiserint, quæ, hac ipsa utilitate perspecta, poterant retinere. Hæc omnia missa facio, cum ad te, Princeps, loquor, qui multa legisti, audisti, & ut certò scio vidisti.

Verum hæc quamuis in laude, honore, & honestate posita sint, humana tamen sunt, & humi iacentia. Boni, & à terra se erigentes Principes, præcipue verò Rex noster, aliquid nolunt, quod in animæ perniciem vertat.

Profundit Rex noster Catholicus ingentes thesauros, & innumerabiles alit exercitus, ut

quæ

quæ præcipua est eius gloria, fidem sanctam
 catholicam tueatur. Obstupescunt gentes,
 & vix credunt, hunc Regem nostrum suis
 sumptibus, suarum gentium labore, maximoq;
 periculo tot bella pro aliorum libertate gerere,
 ne quod usquam iniustum regnet imperium,
 sed ut ubiq. ius, fas, & lex christiana om-
 nia possint. Itaq. paulò altius repetendæ
 sunt rationes. **CHRISTUS** Dominus
 noster cum dicat: Quid prodest homini si uni-
 uersum mundum lucretur, animæ verò suæ
 detrimentum patiatur; rursusq; dicat Prophe-
 ta: nisi Dominus custodierit Ciuitatem in-
 vanum vigilant, qui custodiunt eam; Di-
 camus nos, Princeps, qui **CHRISTVM.**
 Regem Regum non Beemoth cachodemonū
 Principem sequimur: nihil nobis utile esse,
 quod sit ab honesto segregatum, item dicamus
 nihil honestum esse, quod quidem diuina lege
 non regatur. Ac demum dicamus, eorum
 laborem esse superuacaneum, qui insituunt,

institutamq; conseruare nituntur ciuitatem ,
 nisi eam cœli, ac terræ præpotens effector tem-
 perauerit , custodierit , conseruauerit . At
 in spem maximam, & quemadmodum con-
 fido , verissimam adducti sumus fore , ut te
 summo viro ad gloriam splendoreq; Regis gu-
 bernante ministrorum tenacitas , ne Fisco lo-
 cupletando sedeant ; cùm Rex Dominus sit
 largus dispensator ; concutiatur , ignorantia ; cū
 ad ius declarandum docti eligantur , eijciatur ,
 ac demum legibus , iureq. nostro ciuili stantibus
 Ciuitas hac nostra secura sit , & felix . Vi-
 dere etiam speramus tempus , cùm omnes in-
 dustrie nerui intendentur , ne diuturnis carce-
 ribus molestissimè detenti , & scribarum , qui
 promptissimi sunt , cùm nummos ex ipsis ex-
 torquere non possunt , vocibus allecti defensio-
 nes faciendas expresse repudient , nisi duo pro-
 tectores interueniant , assentianturq; , ut fa-
 ciunt , cùm instrumenta ab eis conficiuntur .
 Quod quidem eò facilius admittendum est ,
 cùm

cum possit huiusmodi repudiatio reuocari, & id ubi fiat, tenetur iudex testes repetere, & illos cum reis, (quam rem vulgò confrontationem vocant) committere. Iudicibus præterea tuis curæ erit, ut qui in carcere manent ad lauacrum, ubi tonderi, ac sordibus purgari possint, sub fida custodia ducantur, quod lex imperialis, qua utimur, ubi iura municipalia desunt, fieri iubet. Quæ etiam prouidendi ratio in eiusmodi pauperum sanitate fundatur. Eos enim contuemur proprijs oculis nonnunquam, cum in visitorum aspectum prodeunt ita squalore sordidos, sic fame enectos, capillos ita longos gestantes, ut è sepulchro exire, & carcer ipsis, non ut custodiantur, sed ut puniantur, quod lex civilis non admittit, constitui videatur. Non permittent scribas iniussos sequestrationes carceratorum, edere, sed nec è carcere semel dimissis ipsimet easdem sequestrationes facient, neq. eos rursus ad carcerem reuocandos censebunt, nisi recen-

tia indicia, aut suorum fideiussorum interitus
 subsequatur, aut tempore iam instante votum
 facturi sint, & ad Senatum rem ancipitem
 relaturi. Et queri cogimur, Princeps, huius-
 modi vota nunc aliter fieri, atq. **CAROLUS V.** Imperator in Constitutionibus ab
 ipso editis statuerit; Quamuis Regia Maie-
 stas in Decretis Vormatiensibus, & Thoma-
 rien. supra memoratis aperte precipiat, ut ius
 commune, huius Ditionis Constitutiones, &
 iura municipalia seruentur. Insignis di-
 uersitas, & quæ magnoperè perpendatur di-
 gnissima; nam vult Imperator eò loci, ut
 Prætoris, vel iudicis votum à Senatu videat-
 ur, & si Fiscipatroni dissentiant, ut eidem
 Senatui caussam, quare in sententijs discre-
 pent, aperiant. At in praxi hodierna quod
 nam sit Prætoris, vel Iudicis votum, & an
 Fiscales patroni conueniant Senatus nescit.
 Si quidem sola plurium Curialium opinio in
 fine summarij, de quo inferius dicetur, à refe-
 rente

rente describitur. Quamobrem, & eo etiã quòd cœteri Curiales parum credant Pratori, vel iudici, vel alij referenti, quod inferius etiam dicere non præteribo; parum parati ad ea vota, & prouisiones habendas accedant; parum congruo tempore, & causa plerunq. indicta res prædictas faciant, plurima incommoda, quæ quotidie magis elucescunt, inde emanare, sic demonstrari posse crediderim. Faciamus ergo, Prætorem, vel alium quemuis iudicem pro voto relationem in curia facere, in qua maior reperiatur numerus horum fiscalium, qui relatori contradicere uelint, non ne ipsi communem opinionem constituunt? Ita profectò, & ecce tibi constitutiones; ecce piam, ac iustam Imperatoris mentem uiolatam, spretos, & contemptos Regis ordines esse. In cubiculis memorati Pratoris, vel alibi includi dum ad hæc vota facienda parantur, & eo etiam sæpe tempore, quo ius reddendum in tribunalibus esset, in

*municipale vetat. Fiscalem non vidisse
 processum, & si non in Senatu, saltem in eo
 cubiculo tamquam contra relatores immora-
 ri, germano memoratarum cōstitutionum sen-
 sui repugnat. Non patere ostia, quo libe-
 rius aduocati, & caussidici ingrediantur, ut
 ea possint ad memoriam curialium reuocare,
 quæ in narratione facti prætermissa fuerint,
 recitati Regis ordines damnant. Velle reos tor-
 quere, ac pœnas eis imponere nulla ab aduo-
 catis rei super indicijs habita disceptatione, &
 cognitione veritatis sana sapientium doctrina
 prohibet. Dum verò custodia audiuntur,
 quod hac in Ciuitate singulis mensibus semel
 ab aliquo Senatore factitari consuevit, ac dum
 una visitatione, altera item, ac tertia, audi-
 mus scribam alta voce proferentem: D. Iu-
 dex est edoctus: instruitur processus: expectā-
 tur complices: facienda est quedam diligen-
 tia: fiunt summaria: est in actu colligendi vo-
 ti: facienda est relatio, & Senatorem visitan-
 tem*

tem nulla habita inquisitione, vel ratione tēporis decursi, & eorum, quæ cæteri Visitatores providendo decreuerint (enunciatur enim solum quid in ultima visitatione fuerit decretum) sic determinare: expediatur quāprimum, luctuosum est, ac valde calamitosum. Ita, ut, Princeps, mirati non fuerimus, si effractis aliquando carceribus, quamuis se optimè defendissent, homines aufugerint, & cum ijs etiam alij absoluti migrauerint, qui ob nullam aliam caussam detinebantur, nisi quia non essent soluendo pro tollendo exeundi diplomate, pro comestione facta, pro habita custodia, tam vehementer oderant carcerem illum, ac fastidierant. Quamobrem munus esse Principis affirmamus, ad quem ij confugiunt, qui à iudicibus iniuste vexantur, eius inquam munus est, ut ipse iuxta Dei exemplum descendat, & iudices ad se venire iubeat, & eos, ut apud Euangelistā Lucam legitur, sic alloquatur: Quid audio de te redde

de rationem villicationis tuae, & ea sapientis
 verba tunc meminerit; cognoscere personam
 in iudicio non est bonum: qui dicunt impio iu-
 stus es, maledicent eis populi, & detestabun-
 tur eos Tribus, qui arguunt eum laudabuntur,
 & super ipsos veniet benedictio. Presta-
 bant hoc nostri Duces, ut frequenti seniorum
 sermone audiuius; qui idcirco hominum me-
 moria celebrantur. Hac est litium celeri-
 ter, ac iuste conficiendarum ratio, qua omne
 malum in iudicibus positum evitari potest fa-
 cillime. Hic est verus recte sindicandi mo-
 dus nobis à Deo commonstratus, quem si exer-
 cueris, Princeps, recordabuntur isti ministri
 verborum sapientis: Antè iudicium para
 iustitiam tibi, & antequam loquaris disce.
 Hic etiam non præteribo quòd si priusquam
 præiudicium aliquod faciant didicerint, si
 tuum aspectum subire verebuntur, sponte eo-
 rum sententijs, & consilijs decisivis causam
 aliquam, qua ad ita agendum impellantur, ap-
 ponent.

ponent. *Qua quidem in re floret Aloysius
 Bellonus, magna virtutis Senator, obseruatq;
 hoc diligenter Rota Romanae auditores, ad
 quos imitandos si nihil aliud suaderet, certe
 sola nos eorum auctoritas satis commonefacit.
 Si enim iusta erit causa animo condemnati
 satisfacient, iuxta illud Iobi: indica mihi cur
 me ita iudicaris. Quod si iniusta erit, non
 propterea dimouebuntur iudicio eorum nixi,
 qui cum periculo sententiae fatuum esse iudi-
 cem, causam, qua ad iudicandum accedat,
 in sententia ponentem dicunt. Si quidem
 ipsam (ut dici solet) metuunt umbram,
 & imperitiam; verentur, ne ob id se potius
 odio, aut amore, quam veritate, aut prescripto
 iudicare demonstrant: Etenim minus ma-
 lum est, ut sententia corruat, quam ut quis-
 quam ex iudicis ignoratione damnatum iniquè
 patiat, atq. animae ipsius iudicis melius con-
 suletur, si eius ignorantia detegatur, quam si
 illata detrimenta resarcire teneatur. Non
 silebo,*

filebo, Princeps, quod sæpius apud summos viros comprobavi, si ad hoc præstandum lex promulgaretur, multi, qui Magistratus ambiunt, & magna arte petunt, licet in musarum aditum vix à limine inspexerint, rem hanc ad se non pertinentem idoneis relinquerent. Atque ubi Magistratum adepti essent, potius in voluendis libris, quàm cum aliorum incommodo inconsulendis Præsidiibus tempus contererent. Non fierent ex abrupto præcepta, non interlocutorie impudenter reuocarentur, non tandem sententiæ aliqua præcipitarentur. Solo namque temporis lapsu nunc, Princeps, studium suum defendere putantur iudices, & Commissarij; cum scripturas in sacculo patiantur esse ociosas, ac finem instantiæ ciuilibus, aut fatalium ad rem ipsam tractandam expectent, eaquæ malane longius serpant, tibi, Princeps, qui beneficia dormientibus non defers, maximè est prouidendum. Rursus Principis officium esse putatur, ut iudices ad eius aspectum vocentur,

quia

quia non minus de caussa pro qua vocabun-
 tur, quàm de moribus timebunt. Facilitas
 enim in rebus cognoscendis, in hominibus ad-
 mittendis, & cum humanitate audiendis
 persapè in ijs, qui imperium, & dignitatem
 habent non minus quàm recta sententia desi-
 deratur. Cupis admoneri, & quae sentimus
 in medium afferri iubes, nos verò non odio
 alicuius, sed sola spe sanandae Ciuitatis addu-
 cti, atq. ut ij, quos tu prouehis ad vitam tuã,
 quae eis exemplum erit perpetuum, dirigantur,
 & conuertantur, admonebimus, ac profere-
 mus; Cùm praesertim tu eos, qui toto corpore
 perhorrescentes tibi libellos porrigunt hilari frõ-
 te excipias, balbutientibus coram te, & praë-
 nimia animi commotione obmutescantibus, ut
 à laudata Regis nostri consuetudine non rece-
 das, loquendi ansam benignè praebeas, & qui-
 uis lateri tuo adherens proprio potius pudore
 suffusus, quàm tua superbia deiectus ab in-
 coepto sermone desistat. Quin tu, rarum
 quippe

quippe pietatis exemplum, ne pauperes diuiti-
 bus apud te deterioris sint conditionis, omnes
 eo temporis ordine, quo uenerunt audire uis,
 quae ordinis ratio utinam in iudicentium,
 Praesidum, & Senatorum omnium adibus
 seruetur. Quod si aliquando peruerten-
 dus esset hic ordo magis pauperibus etiam non
 ita tempestiue aduenientibus consulendum es-
 set. Faxit Deus, ut in huiusmodi lauda-
 bilibus actionibus te semper exerceas; neq. um-
 quam animus tuus, aut fortuna debilitetur.
 Sic enim populus, qui detrahere non solet qua-
 ndo Principem aliquo honesto uoluptatis ge-
 nere recreari uidet, sed quando exiguam ope-
 rum à suis officialibus peractorum inquisitio-
 nem habere cognoscit, tuam laudem adauge-
 bit. Ac licet labor aliquis in excussionibus
 hisce habendis requiratur, fiet tamen, ut tuo-
 rum ministrorum uirtutem sine aliorum mi-
 nisterio dignoscas, & aliorum te monentium
 uerbis ad munera posthac deferenda non
 egeas.

egeas: Neq. labor hac in re susceptus magni
faciendus est, cum facile recedat, benefactum
autem omnium memoria commendetur, iux-
ta illud Socratis, & M. Catonis dictum.

Si quid per laborem rectè feceris, labor à te
citò recedet, benefactum autem à te dum vi-
ues non abscedet.

Si qua verò per voluptatem nequiter fe-
ceris, voluptas citò à te abibit, nequiter factū
apud te manebit semper.

His accedet, ut ea omnia, quæ Vormatia
ordinibus tibi in officialium actis pernoscendis
seruanda proponuntur, hoc suscepto labore per-
ficias, & oppressos planè tuearis. An non
vides nisi eiusmodi visitationes, quæ à Sena-
toribus nunc fiunt, haberentur, innumerabiles
oppressiones iniustas futuras? Fus suum
tuentur miselli, non modo in aduersarios, sed
in custodes, in scribas, in iudices etiam ipsos,
facillimeq; Senator potest improbos homines,
& mendaces à veracibus secernere, & quod
proui-

prouisione dignum est, statim decernere. Ex
 quo mihi venit in mentem Aloysij Lopezij
 natione hyspani, & in hac Urbe olim Sena-
 toris; Cum enim huiusmodi carceratorum
 recensendorum tempus instaret, atq. à Guber-
 natore, & à Senatu ipso rescripta data essent,
 ne Senator visitans ad quendam ex carcera-
 tis dimittendum manum apponeret, ipse, qui
 visitationi Præsidis iussu, ut fieri solet, præ-
 positus fuit, talia imperata pro nihilo ducens,
 iniqua pauperis illius oppressione commotus,
 eum è carcere statim solui iussit. Vide,
 Princeps, quantum in eo esset animi, quan-
 tum ingenij, quantum auctoritatis. Rursus
 vide quantum carceratis præsidij sit has vi-
 sitationes fieri. Quare antequam longius
 dicendo progrediar Bartholomeum Brugno-
 lium nunc res Italicas apud Sapientissimum
 Regem nostrum singulari integritate geren-
 tem pleniore ore laudandum arbitror. Si-
 quidem hunc ego egregium I. C. cum rebus
 capi-

capitalibus præfectus esset vehementer desiderasse memini, ut quod de carceratorum huius Urbis statu Senatui, ac Principi referendo agitur, ad alios etiam in tota nostra ditione carceratos extenderetur. Ego igitur à tanti Viri opinione nullo modo dissentiens dicere non cessabo bonum illud, quod consequeretur maximum si in alijs Ciuitatibus, vicis, & castellis huius ditionis viserentur homines nimio carceris fastidio languentes viro aliquo religioso pro Senatoribus assistente, & si non singulis mensibus, ut hic fit, bis saltem in anno nempe propè Pascha, & Natalem Christi Domini diem, & ad Senatum mitterentur. Quibus quidem temporibus hic non uno sunt, sed duobus Senatoribus adstantibus, & in Senatu, te præsentem referuntur. Ut autem tu pietate ductus eos è carceribus liberare queas, quos vel ætate minores, vel senio confectos noueris, singulæ omnium ætates describendæ essent. Hic beneficium, vel

F potius

potius iudicium, & factum Simonis Bossij
 viri studio, atq. doctrina præstantis præterire
 non debeo. Senator tunc erat vir iste, qui
 nunc quæstorum ordinariorum magistratui
 præsidet, legebatq; in Senatu criminalia, cum
 ad eum visa iam à Fiscale, & eius voto ap-
 posito, quedam relatio de muliere, quæ par-
 tum necasse facta erat, delata fuisset. In
 illa quidem relatione, cum reæ mulieris etas
 sibi minimè probaretur, & inter omnes con-
 stet fragile esse, & infirmum minorum con-
 silium, ita, ut sæpius, ac facilius in crimen in-
 cidant, & sine casu aliquo, aut prolapsione
 vix consistant, mulierem etate minorem esse
 suspicatus est. Sed ob malam praxim eo-
 rum, qui ex officio reorum etates perquirere,
 & in processum redigere nolunt, ac propter
 exiguum fortassè defensorum numerum adhi-
 bitum id non liquere. Quamobrem, vide
 Princeps hominis præstantiam, non prius de
 illa referendum putavit, quam à Prætoře Tri-
 uilij,

uiliij, qui rem retulerat, de eius aetate commo-
neretur. Ubi verò certior à Praetore de mi-
nore illius aetate factus est, pœna, quæ alijs
mortem intulisset, ad corpus loris publicè cæ-
dendum à Senatu perducta est. Hic om-
nes, quoniam liberè loqui non licet, tacitè ro-
gant, ut ipsi quoq. in gratiam, ac tutelam tuâ
recipiantur. Si enim nihil aliud esset, ex
hoc tantum, quia homines sunt, & ad diuini
illius exemplaris similitudinē producti aman-
di sunt, & eorum cura non deserenda.

Media regio aeris hoc anno non ita vapori-
bus purgata fuit quin grandines generatæ ma-
gnam fructuum, qui uberrimi sperabantur,
partem peruerterint; ut ego etiam propter fun-
dos mihi à Maioribus in Cinifello relictos
huius rei testis, licet inuitus esse possim. Tu
omnibus nihilominus, si non grandinum im-
petus, partim saltem earum mala sustulisti,
& si non omnibus ubertatem, omnibus ta-
men ubertatis bona attulisti. His igitur

omnibus quouis huius ditionis carcere inclusis
 clementer consulas. Quò enim remotiores
 sunt egentissimi homines, & quò minores, ac
 debiliores habent protectores, eò magis tuum,
 & Senatus auxilium implorant. Est hic
 Senatus amplissimus erectus in huius prouin-
 cie salutem, manetq; ut in regno Troiano
 Palladis effigies, & ignis ille à Virginibus
 Vestalibus Roma custoditus, cuius extinctio
 miserabilem uniuersi Imperij ruinam mina-
 batur. Habuit enim hic ordo semper Se-
 natores graues, & sapientes homines; habuit
 Praesides viros lectissimos, ut nunc habet Ia-
 cobum Ricardum, quem virtus, ingenium,
 humanitas, labor, industria, prudentia laude,
 & gloria cumulât, Regiq. et uniuersæ prouin-
 cie gratum efficiunt. Quapropter tot iam
 annos hæc nostra ditio Regi seruatur cum
 gloria, postquam videlicet lex auctoritatis
 plena, hominum Regina facta est, non autem
 homines legum tyranni. Tu verò in hac

urbe

urbe totius ditionis metropoli, tamquam Re-
gis nostri simulachrum constitutus es, qui cum
optimus sis, ac potens, uis etiam, ac potes om-
nibus prodesse. Es praeterea tamquam pa-
ter familias aduertens diligentissime, ut in
suo quisq. officio contineatur, & sibi imperata
seruet, rigoris legum ipse temperandi faculta-
tem obtinens, & delictorum veniam, praeter
pauca quaedam, quorum indulgentia à Rege
ipso reportanda est, impariens. Adeò ut
afflicti homines, qui coram Senatu stantes
clamant: non fecimus: non cogitauimus: falsi
testes: fictum crimen, tuam praesentiam hu-
miles, ac prostrati subeuntes dicant: errau-
imus: lapsi sumus, miserere nostri. Cumq.
hac in re non peccare uelis, ideò supplices li-
bellos cum scriptis exhibitis ad Fiscales, tum
ad Senatum, mittens, ad ipsius etiam uotum
clementem te in condonando crimine exhibes.
Gestit populus, cum ad huiusmodi relationes
audit protectores carceratorum negligentia à

re ipso argui; propterea quòd in carceribus de-
 tentos protegant, ~~et~~ tamen orare pro eis negli-
 gant; vel scripta necessaria à Fiscali cogno-
 scenda prompta non habeant; gaudetq; sum-
 mopere cùm facile te ad Senatus votum ac-
 quiescere cernit. Sic faciebat Antoninus
 Pius, qui omnia cum grauíssimis viris com-
 municans, æquius est, inquiebat, ut ego tot
 talium amicorum consilium sequar, quàm, ut
 tot tales amici meam unius sequantur volun-
 tatem. Vrbs etiam Roma mirum in mo-
 dum floruisse creditur, quando, qui ei præfue-
 runt, non sua, sed Senatus consilia sequeren-
 tur; cùm etiam lex ipsa peritorum consilia
 confectanda doceat. Nihil enim est tam
 populare, quam bonitas; atq. mauult quiuis
 vir bonus commemorare se, cùm posset per-
 dere, pepercisse; quàm, cùm parcere potuerit,
 perdidisse. At in Principe singulare est,
 & admirandum, ut se adueniam delicti cõ-
 cedendam teneri existimet, vel, si existi-
 met,

met, diligat, & ultro, quod debet offerat.
 Quod cum ita sit læta spe beatitudinis acquir-
 enda perfruimur; cum Plato nos moneat
 beatas fore eas ciuitates, in quibus, aut docti,
 & sapientes homines imperarent, aut, qui
 imperant, omne suum studium in doctrina, ac
 sapientia conquirenda collocarent. Quemad-
 modum enim felicitatis tuæ, Princeps, esse
 videtur, quantum velis posse, sic magnitudi-
 nis velle, quantum honestè possis. At vo-
 tum Senatus Principem si non necessitate de-
 uincit, saltem honestate, quàm libentissimè tu
 sequens elegantissimos hosce Claudiani versus
 ob oculos tibi proponis.

Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit,
 Occurrat, mentèq; domet respectus honesti.

Etenim si omnes ad hominum dilectio-
 nem propendemus (cùm hoc sit fundamentũ
 iuris, legisq; perfectio) in Principe misericor-
 dia, quæ ei ferè propria est, reperiri debet.

Virtus sanè inter alias egregia, & ab Apo-

stolo diuinis laudibus exornata, si tamen illa
 sit, quæ equitatem comitem adiunctam ha-
 beat, prout præsumitur esse illa, quæ in peritio-
 rum consilio stabilitur. Quocirca excellens
 hæc tua virtus tam breui tempore absq. ullo
 regio sumptu tantum huic ditioni præsidium
 attulit, ut mercatores, quibus ab exsulibus obsi-
 dione tenebantur itinera, quò velint diu no-
 etuq; mercimonia tutissimè deuehant, & nos,
 qui modo in Urbibus muro munitis, tamquam
 latebris delitescibamus; quoniam rurales ha-
 bitationes horum exsulū incursionibus pate-
 rent, nunc absq. ullo armatorum hominum
 comitatu, quò velimus, pergamus. Extin-
 ctum est tua virtute hoc cum exsulibus bel-
 lum; non arma armis irritantur, sed miseri-
 cordia tua deponuntur, & ad bella, quæ Rex
 noster iuste suscipit, reseruantur. Probita-
 tis nomine laudari quis verè non potest, quia
 viribus, vel potentia polleat, sed quia bona
 exerceat opera. Neq. tu, vel quiuis alius

Princeps

Princeps sobolem tuò regnaturam confidet,
 ¶ ad Deum magis accedere poterit, quàm
 si homines seruet, eis ad vitam necessaria, si
 eguerint, subministrans, ¶ supplicantibus ue-
 niam concedens, ut fusius dixi in meo Dia-
 logo agens de eadem Mediolanen. Ciuitatis
 praxi. Coeterum Princeps, cùm ad facien-
 dum eum virum, qui didicit, bonum scripta
 legum præ coeteris doctrinis præcipuè confe-
 rant, harum constitutionum leges ante omnia
 discere, & memoria custodire decet. Siquidẽ
 tenerentur; sed nescio quo pacto iam de ma-
 nibus elabuntur. Non solum enim in votis
 dicendis, sed etiam in processibus conficiendis
 magna cum carceratorum calamitate eas ip-
 sas constitutionum leges offendi conspiciamus.
 Nam reos, aut testes, qui ad defensionem
 producuntur interrogare non possunt iudices,
 neq. aliquas sententias, vel alia acta fisco
 præiudicialia facere nisi presentes sint Fisco-
 les, qui subscribant; cùm tamen ea constitutio-
 num

num lex sit, ut unus, duò ue Fiscales ad id solum citentur. Inde verò multas dilationes summa cum egentium, & carceratorum pernicie emanare in apertò est. Plutarchus ad Traianum scribens hæc dicebat: Insudare te scribis ad nouas quasdam leges conficiendas, intellexisse vellem potius te in antiquioribus legibus seruandis occupatum fuisse; cū nihil prosint foruli legibus refertis; si Respub. pessimorum morum labe commaculetur.

Ac dicere consueuerat Senator Gambarana, de quo paulò ante mentionem feci, nouas leges constituere à legum communium ignoratione puenire; atq. hoc dicto nonnullos Senatores, qui ad statuta criminalia reformanda faciles se præbebant, quiescere fecit. Et quia mortuorum magis, & bonorum exempla, quàm viuorum, & eorum quidem maiorum consilia prosunt, sciendum tibi est, Princeps, Duces nostros, huius ditionis antea dominos, dubitasse, & meliores tunc temporis

Jurisperitos consuluisse, an possent ordinem,
 decretum, legem, & statutum nouum conde-
 re. Neq. id iniuria faciebant, quia legum
 nouitatem, ut Plato testatur, nemo facile re-
 cipit. Nunc verò in hac ciuitate per quam
 facile esse videtur, nouas leges condere.
 Condidit quippè Collegium nostrum Iurisper-
 ritorum, quod non inuitus silerem, noua quæ-
 dam decreta ab antiquo iure nostro disceden-
 tia, & in cooptando duriores, quàm olim su-
 biretur, conditiones ferentia. Quin etiam
 horum pleriq. egregia huius ordinis amplitu-
 dine illustres alios non cooptatos ad caussas
 apud se vocis munimine defendendas non
 admittunt; cùm tamen contrarium à duobus
 Magistratibus, à Senatu, & à te ipso, qui plu-
 rima per has leges detrimenta plerisq. impor-
 tari nosti, fieri videant. Atqui calamito-
 sius est, eos, qui medicinam exercent, si in col-
 legiũ adscripti fuerint, egrotum medicamini-
 bus destitutum relinquere malle, quàm cum

alijs

alijs eandē artem profitentibus, & non cooptatis, propterea quòd Decreto, vel potius iuramento ad ita agendum se obligari dicant, cōmunicare. Ecquid facilius est in hac etiam ciuitate (ut hoc quoquē obiter dicam) quàm noua proclamata, quæ sanè non exiguum inferunt detrimentum, promulgare? Sicut enim propter ciborum insolitorum comestionē humores in stomacho conturbantur, ita propter nouam legem, & proclamatū diuulgationem praxis fori, & quies eorum, qui scire uellent, quomodo se, & opes suas tutò conseruent, interturbatur. Nam si hæc proclamata, ut ratio postulat, ad feroces animos perterrendos, non ad actualem pœnam exigendam, vel si ad aliquam saltem leuem ferrentur, tolerandum aliquo modo esset. Verùm, quamuis fiat de non delicto delictum eculei tamen pœnæ imponuntur, quæ uiris nobilibus graues uidentur, nec pauperibus leues, qui prædiola in brachiorum robore sita conseruant. Fmò

etiam

etiam per eas aliquando pro scribendorum bonorum pœna iniicitur, aliquando remigatione, aliquando morte naturali homines terrentur.

Judices autem, & alij, qui absq. hisce proclamatis ociosi essent, ad crumenam auro replendam illas adhibent. Et si iudex bona conscientia motus, ubi horum proclamatum violatoribus timorem incussit, rem pendentem, & ambiguam relinquit, aliquo tempore decurso, alij iudices ad caussas veteres finiendas designantur, qui contra dictum illud Platonis: malum, quod benè iacet ne moue, omninò exequuntur. Concedamus, Principem non donare, dummodo nihil intercipiat, omnium rerum ubertati non studere, dummodo non interficiat, non deerunt profectò tunc, qui filijs augeri cupient. Contrà verò largiatur, & rapiat, annorum fertilitatem tueatur, & interficiat, omnes repente, non modo à liberorum procreatione deterrentur, sed susceptorum, sed suum, sed infelicem parentum

rentum statum deplorabunt. Itaq. pruden-
 ter tu diu ab hisce proclamatis condendis
 abstinuisti, tamdiuq; abstinuisti, ut commu-
 ni omnium gaudio speraremus fore, ut illa
 obliuione delerentur; licet verò ea tu aliquan-
 do renouaueris; magistratum, tamen, &
 totius Senatus consilio, iuxta præscriptum Re-
 gis, adiutum te ea promulganda curasse cre-
 dimus. Non enim est Rex nescius, & tu
 rectè probas tam ordinariorum, quam extra-
 ordinariorum Quæstorum Magistratum, &
 ijs superiorem Senatum tamquam animam
 Reipub. esse, & proinde etiam intelligit cor-
 pus anima priuatum interire, sic etiam eorum
 consilio remoto publicas res pessum ire non du-
 bitat. Regis est, ac tua perpetua, atq. con-
 stans voluntas, ut docti homines non ad ostē-
 tationem, ut quidam faciunt, sed ut eorum
 nutu, ac ductu res omnes administrantur, ve-
 stris utriusq. decretis ferendis intersint. Te
 ergo non abiectis, & inanibus hominibus, qui
 tribu-

tribunalium pondus iners sunt, sed his qui tuto
in rebus publicis versari valent, Magistratus
deferente proculdubio cessabunt hæc mala;
cum medici soli à te delecti ad infirmam cor-
poris valetudinem curandam sufficiant.

Suas obtinebunt vires Constitutiones nostræ,
antiquusq; mos repetetur, licet Fiscus, vel po-
tius scriba, et eius generis alij aliquid detri-
menti quandoq. capiant; neq. id mirum est;
cum lex omnibus equaliter bona propter va-
riam hominum naturam, et eorum dissimi-
litudinem actionum, et instabilem rerum
humanarum conditionem esse nequeat; ac
Regi pergratum futurum sit, quod ad lites
comprimendas paratur. Ipse enim pater-
ne charitatis amore inflammatus, non quod
utile est, sed quod decorum sibi; ac subditis
existimat, diligenter exquiri; sciens proprii
bonum publico præponendum non esse, et Prin-
cipem, quia amicis, non quia nummis desti-
tuatur, deficere solere. O Deum immorta-
lem,

lem, quis non intimis sensibus angitur, & gra-
uiter non dolet, quando simplicem senem, &
agricolam ab omni pecunia imparatum con-
spicit filium habere carceribus oppressum, quia
satellitibus, ne quid subriperent, obstitit.

Cum tamen forte contingat, ut Constitutio-
num pœnam subterfugiat, quia, exempli gra-
tia, memorata exequutionis prohibitio verba-
lis exstiterit, aut solemnitates ad has exequu-
tiones faciendas requisitæ non interuenerint,
aut quia bestias aratorias, plaustra, aratra,
vel alia instrumenta ad colendum agrum
accommodata sustulerint: adhuc tamen ru-
sticum illum senem consueta circa terrã exer-
citia deserere, coniugis, liberorum, ac totius
domus curam deponere, quæstum, quem face-
re posset, abicere, urbem petere, caussidicum,
vel carceratorum Protectorem sequi, omnesq;
longo itinere defatigari, ut Iudices, & Fisca-
les, in varijs, & distantibus huius Urbis locis
habitantes congregent; & à Fiscale, cui, vel

pro-

processum, si sit editus, vel certè librum, in quo scriptus erat, uidendum tradi curarant, precibus contendant, ut iudicem certiorum de causa reddat, et eius ignorationem tollat. Quod quidem, Princeps, nisi Iudex docilis sit, fieri nullo modo potest; cum ad hoc, ut ad rem aliam quamlibet, quæ inter duos, vel plures agitur, omnium actio requiratur. Sic cæcus, etiam si quid optimum obijciatur, non tamen perlustrare potest, quòd oculos ad visionem ineptos habeat; sic surdus, quia obtusis sit auribus, aptam, et idoneam ratiocinationem nequit percipere. Quis præterea non ingemiscit mulierem pauperem contuens prægnantem filiolos suos manu ducentem modo ad hunc, modo ad illum Fiscalem, deinde ad Iudicem proficisci, ut simul unum in locum ad deliberationem faciendam pro mariti dimissione conueniant, vel si de nullitate capture dicatur ad protectores carceratorum causa deferatur; et postea quàm ad Prætorium

peruenerint, iudicem adhuc venturum desiderari? Possunt quidem Fiscales opem carceratis ferre, quando iudicum mens ignorantia caligine obducitur, non verò cum avaritia, vel libidine detinetur. Video iam te, clementissimè Princeps, horum pauperum vicem dolere. Misera profectò, ac luctuosa res est; licet ij, qui duro sunt corde, uti quidam, qui physicum se esse profitebatur, eam ad iocum deducere non timeant. Is enim, qui medicus videbatur, quid oculis maximè prodesse duceret quaesitus, respondit: si apparitores numquam videris. Quid auribus? si nullum domi habueris militem, vel satellitem. Quid stomacho? si numquam rem tractandam habueris cum iudicibus, et) fisci patronis. Quid pedibus? si cum caussidicis Medianen. non ambulaueris. Quid demum ad vitæ tranquillitatem? aulas dominatium numquam ingredi. Ex ijs enim circuitibus (mihi crede Princeps, & prospice id, quod prou-

prouidendum est) id potissimum suboritur, ut
 caussarum expeditiones differantur, in carce-
 ribus existentes morbis conficiantur, ac pereant,
 & eorum simul domestici fame oppressi ex-
 trema patiantur, ac fiscus ipse, si reus ante de-
 clarationem decedat, quandoq. non leuem ia-
 cturam faciat. Itaq. multi hac incommo-
 da praesentientes, & pessimum illum, atq. te-
 rerrimum hominum taxillis cruciandorum
 abusum memoria repetentes, uertere solum
 potius, & exsulare, licet innocentes, quam co-
 ram iudicibus uenire uolunt. Eiusmodi
 namq. tormentorum genere, quae si non totam
 manum, saltem digitum aliquem mancum
 efficiunt, miseri homines terrentur. Si qui-
 dem uisum est, quod referre horresco, aliquan-
 do in uiro innocente id accidere, ut taxillus
 manum ita affligerit, ut corrumperetur, &
 idem tamquam membrum putridum à toto
 corpore, ne illud unà periret, resicaretur. O
 tempora, o mores hic quos putas Princeps fle-

tus mulierum, quas lamentationes filiorum,
 ubi hunc sic affectum viderunt. Hoc au-
 tem cum ita sit ne in seruos quidē posset huius-
 modi torquendi genus exerceri: & si non in
 seruos, quis sana mente dixerit id in homines
 liberos, & eos quidem christianos iure admit-
 ti posse? Intueor nunc nonnullos ad mur-
 murare, quasi agnoscere videantur qui hæc
 fecerint. Ego verò neminem nomino, atq.
 idcirco succensere mihi nemo iure poterit, nisi,
 qui ante de se voluerit confiteri. Crudelis-
 simus Tyrannus Phalaris exstitit, cui ta-
 men noui crudelitatis modi displicuerunt; quã
 do in taurum aeneum, qui subiecto igne ad
 voces damnatorum in eo inclusorum mug-
 ium edebat, Perillum primum eius archite-
 ctum ad eas pœnas primò perferendas impo-
 ni iussit. Quod si noua nunc supplicia exco-
 gitantibus accideret, melius secum agi duce-
 rent, legum, quas Rex noster ad unguem ser-
 uari iussit, terminis non dimoueri. Profe-
 Etò

Etò non videntur ij proximū diligere, quia dilectio proximi, inquit Diuus Paulus, malū nō operatur. Ea se iuris regula tuētur inhumani illi, et ceruicosi, e Republica esse delicta impune abire nō debere; atq. eidem regula innitentes, mirum est si contrarijs probationibus umquā eorum, quæ urgebant, à reo factis acquiescant, quin etiam ad tormenta recurrere velint. Verūm omnes intelligimus, in his tormentis inferendis ventum quendam à plerisq. et inanis gloriæ auram quæri, ut sibi contra legem munera committantur criminalia. Quosdam enim vidimus præcipites, (ut ita dicam) ad Principem concurrere, & ad Senatum conuolare, ut comparitio, quæ à practicis præuentoria vocatur, cuius vi iudex legitimum ordinem à legibus traditum seruare cogitur, tolleretur, utq; eis torquendi taxillo adhibito facultas adderetur. Cū verò id obtinuisset, & ex reis unum tormentis his illatis confessum fuisse contigisset, se Rhada-

*manthum esse arbitrabantur, opinantes boni
 se, ac diligentis iudicis famam ex eo captare,
 eius nescij sententia: iudicem gloriantem in
 morte hominis homicidam esse, qui alias mi-
 nister Dei dicitur. Complices autem si cru-
 ciatum vim perferebant, in veritateq. ma-
 nebant, ita, ut mendacium ab illo tormentis
 extorum fuisse constaret, iudices hos fuisse de-
 risos conspeximus. Tunc tamen, & eo ma-
 gis cum omnes hisce tormentis acerrimis per-
 durarent, & innocens illorum vita ob proba-
 tiones ad suam defensionem allatas magis
 eluceret, rei, praesertim si nihil eis argenti erat,
 his difficultatibus inuoluebantur. In curia
 enim res expedienda prorogabatur, demum ea
 tractata, votoq; suscepto finem assequi mini-
 me poterat, quoniam iudices illi nihil inuenie-
 bant, quo saeuitiam suam, & temeritatem,
 quae cum sapientia numquam commiscetur
 apud Senatum, ad quem relatio ad causam
 definiendam facienda erat, excusarent.*

Atqui

Atqui sapientis est iudicis, se hominem esse cogitare; meminisse tantum sibi à Rege, vel à Principe esse permissum, quantum commissum, et creditum sit, et semper non quid ipse velit, sed quid lex, et religio cogat, considerare. Quod cum ita se habeat, non bene se defendere videntur illi, qui memoratam regulam: interesse Reipub. ne delicta remaneant impunita, inflectunt. Difficultas autem, et fallacia, in eo versatur quòd dum nocens quaeritur, plectitur innocens, quod ut cum Diuo Augustino loquar, plangendum est, irrigandumq; si fieri posset fontibus lachrymarum. Quo circa tutius est minus, quàm plus facere, et legum limites excedere. Excessus autem patens est, cum hoc modo tortus innocentia, vel supplicio saluus esse non possit, quod est contra legis praescriptum. Lege autem quemquam sapientiore esse non oportere scribit Plato, atq; idem vult extremis supplicijs eum affici, qui aliquid praeter leges iuuenibus, vel senibus per-

G 4 suadet.

suadet. *Fr*aq. eam regulam tunc fore ve-
 ram crediderim cum de delinquente saluis le-
 gibus iam constat. Satis ergo iudici esse de-
 bet, si leges, si iustissimi Regis mandata, non
 proprium voluntatis dictamen sequutus est.
 Huc enim pertinet illud Hippocr. omnia se-
 cundum rationem esse facienda, *¶* ubi non
 succedat, non esse transeundum ad aliud, *¶*
 illud Cassoni, interesse etiam Reipub. ne inno-
 cens puniatur. Sed nec aduertunt ij, ea-
 dem regula tamquam proprio gladio, dum le-
 ges, *¶* precepta Regia spernunt, se ipsos transf-
 fodi. Cogitavit aliquando Senatus hunc
 taxillis torquendi modum, quem ego prius plu-
 ribus rationibus improbaram, auferre, idq. de-
 creto condendo perficiendum Alexadro Pa-
 nigarole viro Senatorio, cuius spiritus ob vite
 integritatem, quam in terris seruauit, summis
 in caelo gaudijs exsultet, commissum fuit: quod
 cum copleisset, atq. ni fallor ano M. D. XIIIC.
 XV. Kal. Januarij perlegisset, diuersa, ut
 fertur,

fertur, Senatorum voluntates fuerunt, distra-
 ctæq. sententiæ. Quamobrem Senatores
 decreti determinationem in aliud tēpus, quod
 tamen, ut omnes scimus, numquam aduenit,
 distulerunt. Omnia igitur tibi vni, Prin-
 ceptis, excitanda sunt, quæ male praxis impe-
 tu prostrata iacere sentisq., ut tot homines in
 carceribus existentes expeditionem desidera-
 re, alios ab his nostris regionibus exsulare in-
 telligas, non tam delicti magnitudine, quàm
 horum temporum labe, quibus bonorum Iudi-
 cum pœnuria cernitur, toleratur scribarum li-
 centia, Fiscalium dilatatur iurisdictio, &
 immanis, ac barbarus torquendi modus in dies
 magis excrescit. Etenim hæc capitalium
 iudiciorum noua forma terret non solum illos,
 præsertim egentes, & pavidos homines, sed
 terret etiam oculos nostros qui, quocunq. inci-
 derint veterem consuetudinem fori, & pri-
 stinum morem iudiciorum sublaturum vident.
 Atqui horum exsulum numerus maior etiam

eu adit

euadit, quando Princeps licet *votum Senatus* ad pœnã indulgendam habeat, non tamen, quod sine peccato fieri non videtur, indulget, vel si indulget, eos ita premit, vt pecuniam pauperibus erogare cogat. Quod quidem in tenuibus hominibus, et exsulantibus est vnum altare detegere, quæ res Principi facienda non est, vt aliud tegatur. Inter alia damna, et detrimenta, quæ affert exsiliū, sunt hæc, Princeps, paupertas, et miseria. Itaq. cum (vt plurimum) exsul pauper sit, et per consequens ad hanc inuitam eleemosinam faciendam minimè aptus, veniæ decretum suo pulcherrimo nomine gratiæ spoliatum, quod gratis non fiat, apud Cancellariæ secretæ Quæstorem informe iacet. Quod autem honorarij, seu mercedis nomine pro huiusmodi venialibus codicillis quæstori soluitur, satis esse debet. Finxit te natura corpore paruum, ad honestatem tamen, grauitatem, temperantiam, magnitudinem

dinem animi, iustitiam, ad omnes deniq. vir-
 tutes magnum, & excelsum. Quare tu
 isto ingenio, & prudentia praeclitus causam
 Reipub. tenes, nos omnes gubernas, eos tan-
 tum dignitatibus ornas, qui in propria pruden-
 tia non innituntur, nec prudentiam Regiam,
 leges, & iura nostra ciuilia aspernantur, qui
 non de legibus, sed secundum leges iudicant,
 qui iuris decisiones ferentibus non succensent,
 qui dubia, (vulgo motiua) in causis crimi-
 nalibus, quando testimonia publicata sunt,
 excitari petentibus non irascuntur. Iudex
 autem, qui tamquam elinguis, in causis dis-
 cutiendis non percunctatur, numquam ad
 ius declarandum idoneus euadet. Tem-
 pus enim, crebraq; inquisitio ad aperiendam
 controuersiam conferunt. Eum rursus decet,
 qui magni viri expectationem apud omnes
 concitauit, neq. sui ipsius, neq. rerum suarum
 amore oblectari, sed iusta siue à se, siue à quo-
 uis alio gesta semper diligere. Nam cum se
 ipsum

ipsum, vel res proprias pluris quam veritate
faciedas putat, quod iustum, bonum, pulchrūq;
sit, oscitanter, & male decernit. Hunc
enim errorem, qui mente imbiberunt, ignoran-
tiam suam sapientiam esse opinantur. Hinc
fit, ut, quamuis, nihil ferè (ut ita dicam)
sciamus, omnia tamen nosse arbitantes, non
eam, quam caussa requirit, diligentiam adhi-
beamus. Iusti autem mansueti sunt, ut
ait Homeus, cuius sententia Plato etiam se ad-
scribit; et quemadmodum superbia iustitiam à
se repellit, sic mansuetudo eam in se recipit, &
fouet. Itaq. Baldus, qui, teste Iasone, omnia
sciuit, dicere consueuerat, non pudere se opinio-
nem, quam animo comprehenderat, dummo-
do alium melius sentire videret, immutare,
imò gaudere se, ac semper gauisurum prædi-
cabat, si veritatem, & iustitiam consecrari
posset. Superbos verò eos esse non dixerim,
quò quæ iure sua esse certò sciunt (affert enim
actionum libertatem scientiæ possessio) alijs

usur-

usurpanda non derelinquunt. Deploranda verò, ac deplenda est noua hæc praxis; cum ea bona tempora, quibus Camillus Cattaneus Valianus olim frater Jacobi Philippi Regij nunc procuratoris mihi summa familiaritate coniuncti, tunc rebus capitalibus præfectus, et demum Senator, et Cremonæ Prætor cogitatione percurrimus. Hic enim præclarissimus vir suæ dignitatis amplitudinem non modica eius præsentia, aut Fiscalium patronorū subsidio sustinebat, sed eam potius tuebatur, cum prohibebat, ne Fiscales ij in eius munere tamquam iudices se se adiungerent. Quare, si quis ex fiscalibus nomen in interlocutorijs apponebat, ipso etiam præsentē subscriptionē debebat, dicens munus suum esse prouidere, ac iudicare; si verò deliquisset, cum dies sindicatus aduenissent, rationem se redditurum affirmabat. Quam rem optimè perfecit, quia licet iustitiæ Capitanei sindicatum non subirent, ipse tamen litteras ad Regem dedit, quibus censuram

suram, quam deinde obtinuit, flagitabat.
Nihil enim spectari potest decentius, aut vit-
lius, quàm eos, quibus Reipub. commissa est ali-
qua administratio, suarum actionum ratio-
nem reddere. Si quidem omnes in officio
facile continentur, si rationem eorum, quæ in
Magistratu gesserunt, aliquando reddendam
putauerint. Itaq. censores, quos nos Itali
Sindicatores vocamus adesse oportet, qui vi-
deant rectè ne, an secus uixerint, egerintq; , qui
in Magistratu fuerint. Atq. idcirco sa-
pientissimè se gerunt Principes, qui in aliquos
inquirentes alicui, quamuis honesto, qui lege
hac sindicatus solutus sit, non mandant: Qui
verò sine cupiditate vixerunt, integritatis, &
innocentiæ suæ splendore confisi eiusmodi cen-
suram, ut Valianus faciebat, non perhorre-
scunt, eamq; libentissimis animis subeunt.
Magistratum hominem indicare, & vicif-
sim hominem, qualis sit Magistratus osten-
dere testabatur Epaminundas. Hic cum
popu-

populus inuidia commotus abiectum ei munus,
 & sordidum detulisset, non recusauit, ut no-
 stris temporibus pleriq. utilitatem propriam
 respicientes faciunt, imò illud ita exercuit, ut
 à quamplurimis postea, & si non nisi circa
 cloacas, & vias sordibus purgandas, versa-
 retur, tamquam honestum, & laudabile mu-
 nus ambiretur. Vides tu hoc, Princeps,
 conuiuent plures, dormiuntq; Vidit hoc ipsum
 Alexander Seuerus, qui sæpè dicere solebat,
 eos promouendos esse, qui Rempub. à se non per
 assessores administrare possent. Vidit Pla-
 to, qui idem censuit. Quid enim refert Fi-
 scales, vel scribas gubernare, aut gubernantes
 à Fiscalibus, vel scribis regi, uti de ijs, inquit
 Aristoteles, qui à mulieribus se gubernari pa-
 tiuntur, Caterùm, ut, quæ prouisione digna
 sunt, repetantur, & in animo tuo penitus in-
 fideant, Princeps, non satis quandoq. est mi-
 rari negligentiam, & quorundam iudicium
 incuriam, qui planè ignorantes neruos, atq. ar-

tus esse sapientia non temere credere, fidem uer-
 bis scribarum adiungunt, & processum, quem
 sequantur, uel scripturam negligunt intueri.
 Cuius sanè vitij labe à Pulcheria sorore Theo-
 dosius Arcadij filius notatus fuit, qui ludis, ue-
 nationibus, alijsq; voluptatibus deditus, res ad
 imperium pertinentes eunuchis tractandas re-
 linquebat. Eà etiam processerat eius in re-
 genda Republica socordia, ut priuilegia sine
 illorum, quæ in eis continebantur, cognitione
 obsignaret; Quam quidem leuitatem soror
 eum maximè odisset, hoc in consilium deue-
 nit, ut litteras conscribendas curaret, quæ
 restarentur Imperatorem uxorem eius Eu-
 doxiam, quam mirum in modum adama-
 bat, sororis seruam constituere. Hæ autem
 litteræ hunc in modum scriptæ ad Imperato-
 rem ab ipsa perferuntur. Imperator uerò
 litteris minimè perlectis, nec percunctans so-
 rorem, cuiusmodi esset donum ab ipsa per si-
 mulationem petitur, eas obsignat. En

mirus

mirus corrigendi modus, vix ob signatis ab
 Imperatore litteris foror statim eas recitauit,
 vt Imperatorem ipsum eius, quod antea ne-
 gligenter gesserat, puderet. Hoc idem ali-
 quando Iudices quidam faciunt, dum cap-
 turas, vel vocetur ita, vt veniat, quod idem
 ferè est, nisi quia media tantum captura mer-
 ces satellitibus persoluitur, concedunt. Quã-
 uis etiam ad alicuius petitionem, vel eius (uti
 superius dixi) submissam personam aliquan-
 do fiat, vt maritus carcere includatur, &
 ipse interea cum eius uxore diu immoretur,
 dormiat, & adulteretur. Quod quidem
 ubi perfecit, hoc est ubi maritus in carcerem
 coniectus est, quod optabat euenit, cum non
 possint iudices hac noua praxi recenter indu-
 cta stante, absq. Fiscalium assensu, & sub-
 scriptione eum dimittere. Quae res dura
 est, & maximum inijcit scrupulum. Si
 quidem quando iudex capiendi facultatem
 facile, & de facto concedit, facilis etiam in

H captis

*captis citò liberandis esse debet. Cùm enim
 captura ad subditorum perniciem, dimissio
 verò ad commodum tendat, de captura po-
 tius concedenda, quàm de dimissione in curia
 agendum esset. Agi inquam in curia de-
 beret, ubi periculum mora interposita non af-
 ferat; vel enim prius processum legerent, vel
 saltem communicandi pudore deterriti absti-
 nerent. Peccat enim unusquisq; scientia
 carens; peccant omnes, qui alia re, quàm ra-
 tione mouentur. Eius deinde dimittendi
 decreto: si fideiussorem dederit, confecto,
 scriba quoq; si aliquid ob oppresso extorquere
 cogitat, vel cum parte aduersa colludat, ali-
 quot adhuc dies in carcere detinet, cogitans
 aliquid fideiussori opponere. Si enim mul-
 tis abundet opibus eum facile in iudicium vo-
 cari, & ab eo pecuniam promissam exigi
 posse, negat; si merces vanales habeat, eas
 amitti posse dicit, si scriba sit, vel iurisperi-
 tus legibus se defensuros proponit. Hæc ve-*

rò dum à scriba per fraudem geruntur, accusator aliquem ex tribus illis Senatoribus, qui eo mense supplices libellos expediunt, adit, omnia ad libitum fingens; cùm præsertim eorum, quæ ab eo peraguntur, nullam reus notitiam habeat. Litteræ verò à Senatu iudici cognoscenti quandoq. traduntur, quibus virili animo procedere, & ubi vera fuerint, quæ in precibus narrantur, agenda perficere, reum carceribus detentum retinere, & de ijs, quæ ex processu prouenerint, Senatum, quæ magis conuenientia fuerint, prouisurum admonere iubetur. Atq. si quem sibi Fiscalem adminiculo futurum confidat, Senatum etiam adit, à quo quandoq; ut ille interueniat, obtinet. Id enim, quod causæ citò conficiendæ plurimum obstat, reo etiam iniicit suspicionem, ne is, quem non ius nostrum ciuile, sed libido hominum deligit, quem ob muneris perpetuitatem villicationis reddenda metus minimè præmit, se audaciorem,

quàm ius postulare videtur, atq. acerbio-
 præbeat. Crescit verò carcerati suspicio, et
 ipsius caussa morbus, cui serò semper, si quod
 fit, remedium comparatur, magis ingrauescit,
 cùm ille insciente Iudice percunctatur, iudi-
 cat, torquet, ac refert. Porro, Princeps,
 totum fundamentum huius nostræ humanæ
 societatis, quod in iuris æquabilitate consistit,
 primas habet partes, ut nè cui noceatur. Sed
 reliquum cursum huius telæ iudiciariæ vide,
 quem quidem celeriter perstringam. Hæ
 Senatus litteræ cùm in actis ab eodem delato-
 re reponuntur, adhuc pars in iudicium non
 asciscitur, neq. eius saltem defensoribus viden-
 dæ proponuntur; cùm tamen ex iure nostro
 municipali apertè constet, accusato, seu de-
 nuntiato tam accusationis, quàm denuncia-
 tionis exemplum suppressis testium nomini-
 bus, antequam procedatur, tradendum esse.
 Tu verò, Princeps, hac in re non deciperis,
 qui idcirco accusatores ad Senatum, et ad
 iudices,

iudices, qui videant, & iustitiam faciant, simpliciter remittis, ut ea omnes à te decreta: talis me incio non relaxetur; iudex me alloquatur; iudex ad me referat, exsulare pernoscant, alijq; te inferiores propria cuiusq; munera non confundenda, & cursum iustitiae non retardandum intelligant; iudicemq; sciât, non ut discipuli personam sustineat, sed, ut magistrum ineptis spectatorum voluptatibus aduersaturum gerat, pro tribunali sedere, & quanta sit fides delatoribus, ac testibus adhibenda melius cognoscere. Itaq. fit, ut etiam praxim eorum iudicum, qui statum caussarum ad Senatum referentes, votum in relationibus apponere negligunt, laudandam minime putauerim. Atq., ut ad capturas redeam. quis nescit, Princeps, haec opulentorum capiendorum decreta raro à satellitibus ad exitum perduci? contra pauperes autem nimis facile satellites exequi? Atq. ubi quis in carcerem detrusus fuerit, non potest ex

eo emergere, quin viginti quinq. libras imperiales, & multò plures expendat. Eam autem pecunie quantitatem, cum, ut plurimum, in promptu non habeat homo pauper, nec alicuius illum opes in rebus eius incommodis subleuent, ad suppellectilia domus, & per sepe ad cubile distrahendum confugit. Profectò eorum, qui homines potius, quàm fortunam diligant, perexiguus nunc exstat numerus; cum tamen hac de re laudati olim fuerint maiores nostri ab Octauiò, quòd in foro hoc nostro statuam aeneam M. Bruti erectam vidisset. Ne diues cadat, ut è carcere exeat ab amicis adiuuatur, omnes ad ineundam curiam promptos se exhibent officarij; si pauper cadat, non est, qui manum ei porrigat; si diues præterea loquitur, obmutescunt omnes; eiusq; sermo usq; ad astra tollitur; si pauper verba facit, dicunt, quis est iste? & si offendit eum extinctum esse volunt, inquit sapiens. Ita ut illum optimè animaduer-

*ma*duertere oporteat, ne in scriptis clausulam
 illam: protestando de querelando tempore
 sindicatus, ponat, ac multam diligentiam
 adhibere necesse sit in supplicibus libellis con-
 ficiendis, quando subsidium à te, vel à Sena-
 tu, vel à Rege ipso aduersus improbos iudices
 implorat. Cùm præcipuè in more positum
 sit, formalia ipsius libelli verba in rescriptis
 inserere. Ita q. ciues, & egentes homines,
 qui quoniam coram superioribus congregari sæ-
 pe non possunt, non audent, & si miserabili-
 ter oppressi, apud virum ipsis ministris supe-
 riorem libellis oblati lamentari. Hæc, &
 alia peiora edunt illi, qui dignitates in super-
 bam animi elationem vertunt; certumq; est
 hominem iniustum, si ledatur, iniustiores
 reddi, & est inculcata omnium auribus ea
 sententia: homine bono nihil melius, malo nil
 peius esse posse. Sed, ut ulterius progrediar,
 ubi è carcere tandem exierit egenus, si scriba
 ex eorum numero fuerit, qui diligentiam ad

malum adhibent, pecuniam statis temporibus sibi à paupere persolui curabit, timorem non modo homini è carcere dimisso, sed fideiussori etiam incutens his verbis: præterijt terminus, & inserta est clausula: ita quòd non possit purgare moram. Hoc igitur, & alio metu temporum interuallis iniecto magis lucratur, quàm si causa expediretur. Postquam verò nihil amplius nummularum exprime-re ob egente, nihil à misero extorquere potest, ea excusatione, quòd non potuerit rem ulterius differre, quia iudex causam expedire uelit, in carcerem de repente illum duci curat. Quod quidem prospiciens pauper, si ad Senatum, tamquam refugium oppressorum, recur-rat, quantos labores, & expensas aliquando subeat uide. Certè enim dico ea, quæ ex-perimento comprobata sunt, & proprijs ego oculis inspexi. Det Senatus ad iudicem litteras inquiring: Iudex cum curia super ab-solutione deliberet. Demus postea iudicẽ rem

in curia modo, quo voluerit, in scia parte re-
tulisse, & iniquè deliberasse. Hinc fiet,
ut fatigatus ad Senatum redeat, qui alias
litteras tradat huiusmodi: iudex ad suppli-
cata benè aduertat, & si hæsitauerit ver-
bum faciat in Senatu termino sex dierum.
Verbum verò in Senatu facere non om-
nibus est facile, cum latinus sermo requi-
ratur, & scriba, qui ei ad referendum in tri-
bunali illo, in quo superciliurn retinetur, opem
ferat, ut in curia fieri consuevit, adstans ha-
beri non possit. Et risum quidem excita-
uit, cum quidam Iudex in eo amplissimo con-
cilio causam referret, confuseq; , licet de scri-
pto diceret, rem exponeret, ubi ad vota ven-
tum est, primus Senator facetè admodum
huiusmodi votum dedisse fertur: Torqueatur
acriter iudex pro habenda veritate. Itaq;
cum Iudex coram Senatu prodire non au-
deat, expeditioq; prorogetur, si oppressus ad
Senatum reuertatur, qui dicat; cum statuto

ter-

termino verbum non feceritis, ulterius, ubi aliud iuridicum non obstet, supplicanti non molesteris; & iudex ad hanc se absolutio- nem expediendam componere noluerit, ur- geatq; fideiussorem, ut reum in carcerem re- ducat, idemq; ad Senatum adhuc confugiat, qui rursus dicat: ulterius non molesteris, & si aliud iuridicum habetis in scriptis referatis, nec eum constitutione personali grauetis, non adhuc pauperis illius incommoda terminan- tur; quoniam iudex, qui ad pecuniam extra- hendam inuigilat, eum denuò capiendum curabit, captumq; numquã dimittendũ stude- bit, nisi huius relationis, quã nouissimè describet, laborem pecunia compenset. Si tandem Senatus, ubi eam vidit relationem, causam ad iudicem civilem remittendam, uel quid simile iubeat, nemo est, qui sumptus, & dam- na pauperi resarciat. Quamuis enim iudi- ces etiam iniustissimi tempore sindicatus ac- cusentur, facile tamen ius suum tuentur, si rem

in curia egisse cum Fiscalibus, quorum, tamquam assessorum, decretis traditis, sententia sit ipsis sequenda, asserant: Cùm tamen probabilius videatur iudicem solum in referendo deliquisse, quàm omnes alios curiales, cùm plures numero sint, in rebus terminandis errasse. Sed, ut mea recurrat oratio ad causas criminum, quæ in Senatu fiunt, expediendas; sciendum tibi est, Princeps, aliàs fuisse Senatorem contra relatores stātem, qui aequè, ac iudex, processum peruiderat. Scriba enim, vel alius uni ex Senatoribus lectionis criminalis, qui singulo mense duo sunt, processum perlegebat, ipseq; Senator eius ad verbum lectionem audiebat, et quod illi præcipuum videbatur, animaduvertebat. Hic ad unguem certior factus de ijs, quæ in toto processu continebantur, quasi contra relatores, qui res præcipuas integrè non referret, verba factururus, hoc contra relatoris nomen sortiebatur. Nunc autem noua est inducta praxis, quæ talis est;

fit

fit epitome, vulgò summarium, totius proces-
 sus, in cuius calce, quod aliàs iuxta quoddam
 Senatus decretum fiebat in fine processus, vo-
 tum curie iudex perscribit, & suo nomine
 munit, deinde verò illud idem ad Senato-
 rum alterum, qui illud videt, mittit, tum
 definita caussa apud Secretarium Senatus
 in Cancellaria dimittitur. Existimabat
 Senatus, ut eiusmodi summaria iudices con-
 fecturi essent, verùm, quia laboris eos piget, et
 negotiorũ fluctibus distrahuntur, uni ex eorũ
 scribis facienda proponunt, & quod magis
 refert, non ea, quæ requiritur claritate mul-
 toties fiunt. Concisè enim componuntur, &
 paucis verbis maxima materia pertractari
 nequit; neq. umquam id superuacaneum uo-
 cabitur, quod rem magni momenti, ut ne-
 cessitas cogit, amplectitur. Atqui su-
 perfluum admittere tutius est, quàm neces-
 sarium omittere. Attamen aliqui pra-
 xim hanc inuectam esse dicent propter mole-
 stiam,

Stiam, ne adolescentes processum coram Senatore legerent horis non opportunis, & notario eos mittenti pecunia esset eroganda.

Concedo hoc esse malum, verum eos mihi concedere necesse est, multò peius esse à priore praxi recedere, atq. ut admittant oportet, propterea quòd bono oppositum aliquid esse semper necesse est, mala penitus euelli non posse. Sicut ergo non artes, sed ipsarum abusus est improbandus, tollatur hic abusus, à prudentiumq; ingenijs repudietur, & causa cognita relictis maiorum institutis consenscat. Sic enim quandoq. apud Reuerendissimum Aloysium à Castella Valeria Archidiaconum, & in hac ditioe olim Regium Censorem hominem sapientem, & alta quadã mente præditum quorundã ego sententiam improbaui, qui Consulum tribunal in hac Ciuitate Vetusissimum tollendum censebant, propterea quòd in eo multi admitterentur abusus. Ridiculum namq. esset equum

non

non ascendere, & potius peregrinationem pedibus conficere, quia quispiam equo vectus ad parietem caput alliserit. Cultris item, & alijs instrumentis ferreis, quæ ad hominum usum excogitata fuerunt, non viti stultum esset, quoniam imprudenter, aut malitiose, vulnera inde, vel homicidia fuerint consequuta. Sed ne ab eo, quod nuper dicebatur, aberret oratio, maiorem pecuniæ quantitatem nunc ij scribæ pro his summarijs faciendis exigunt, quàm notarij pro recitata processu lectione assumerent. Itaq. pauperum in carcerem coniectorum, pro quibus ob rei familiaris angustiam summarij exemplū prius non conscribitur, processus fortè, ut ius postulat, non diligenter perspicitur, si tamen pro diuitibus fiat, accidere potest, ut quæ vult scriba, reliquis omissis, tantum aspiciantur. Quamobrem procedente tempore, & periculo rerum facto non videtur hæc via in veritate habenda satis esse munita. Requiretur fortasse
 nunc,

nunc, quemadmodum; cū huiusmodi sum-
 maria penes Secretarium Senatus remaneāt,
 possit de eorum fideli constructione dubitari;
 cū iudices ipsi rationem & illigationis suae
 apud Syndicatores se reddituros esse p̄uideant.
 Hi enim Syndicatores, qui à Senatu designan-
 tur, eam animaduertendi tabellam habent, ut
 publico edicto proposito, ac statuto & volentibus
 conqueri termino peremptorio, generalem in-
 quisitionem contra Praetores, & eorum fami-
 liam forment, querelas, si quae porrigentur, ac-
 cipiant, & procedant, libros, & acta causa-
 rum criminalium diligenter inspiciant, beneq;
 aduertant, an aliquid iniuste factum fuerit,
 aut aliter commissum, vel omissum in Fiscis,
 uel alicuius priuati detrimentum. Admitto
 tabellam, sed cognosce, Princeps, hoc contraria
 non diluere argumenta; quoniam syndicatores
 isti non possunt haec summaria videre, & cō-
 ferre cum processu, propterea quòd exemplum
 apud acta iudicis non relinquatur, uti fieri

confuevit in relationibus, quæ ab alijs Ciuitati-
 bus, locis uè forensibus ad Senatum perferun-
 tur. Neq. Syndicatores, quibus Iudicis offi-
 cio magis, ex quo lucrum uerius prouenit,
 quàm Syndicatoris, fungi placet, à Senatu, ut
 ea remittat, efflagitant. Quamobrem cum
 Senatus hæc summaria, quæ pænes Secretariũ
 adseruari iam diximus, ad Syndicatores non
 remittat, nec scriba eorum, ut neq. eius sum-
 marioli, si quod ad decreta prouisionalialia à cu-
 ria habenda conficitur, exemplum in actis re-
 ponat, an ea sint fideliter confecta indagare
 syndicatores non possunt. Fiscales præterea,
 cum in proprium detrimentum, quando uo-
 tum pro definitiua colligitur, iudicibus ipsis re-
 ferentibus fidem non adhibeant, et ideo non
 subscribant, licet, quod mirum est, in perniciem
 reorum plenam eis adhibeant fidem, hoc, quod
 in curia tali modo deliberatur, potius incuria
 deliberari dicendum uideretur. Tu igitur
 Princeps, qui a motis doctrinæ impedimentis
 falsis

*falsis videlicet opinionibus purus es, nec alia
 præter illa, qua nosti, scire te putas, si hoc fal-
 sum tibi videtur, sequar auctoritatem tuam,
 mutabo meam sententiam, sin insidias, dila-
 tiones, ac dispendia fieri posse intelligis, fretus
 Senatus ope hanc nouam praxim tamquam
 aliquod nauigium atq. cursum ex forensis u-
 sus tempestate tollere, uel moderari ne dubites.
 Id iam certè (ut credo) perfecisses, si omnia
 perspecta, & cognita tibi fuissent; cum, ubi
 opus est, probè occurras. Nihil hoc anno
 gessisti, quod omnium ore celebrandum non sit,
 nullum uel exiguum tempus effluxit, quo
 beneficium aliquod à te in nos collatum non
 extiterit. Omnes siue moenibus septi, siue
 ab illis peregrinantes magnum à te commo-
 dum, & ornamentum receperunt. Id enim,
 quod clarissimum est, eo etiam dilucidius emi-
 cat, quòd orizam in locis fertilibus, uel cum
 à uijs publicis, aut ab urbibus quibusdam in-
 teruallis non absunt, seri prohibueris, ut se-
 I getibus,*

getibus, pratis, vineis, hortis, & arbuſtis
 res ruſticae laetae ſint, laetiq; , ac ſani ruſtici, &
 viatores omnes, ac demum, ut lactis, ut
 pabuli, ac rei frumentariae annona uberior
 fiat. Sic nanq; haec fruges non ita facile, ut
 oriza, ex huius ditionis terminis in alias re-
 giones aſportabuntur. Quocirca, qui res
 à te geſtas ſideli oratione recensuerit, ſatis te
 laudibus ornaffe videbitur. At verò,
 quod ego miror, nunc tibi nihil eſt antiquius,
 quàm bonos, & prudentes eligere iudices,
 quàm pacem foro reddere, quàm animaduer-
 tere, ne qui ad iudicandi munus euehantur,
 peierent. Cum id ſit non timere Deum,
 & hominem non vereri, quod ſacroſanctum
 Euangelium, in iudicibus praesertim, detesta-
 tur. An verò dignitates, & admini-
 ſtrationes, quae calamitosa bonis pleriq; fue-
 runt, ut Soloni, Ariſtidi, Scipioni, Cicero-
 ni, & alijs plurimis, malis deinde, & periu-
 ris hominibus letitiae voluptatem ſint allatu-
 ra,

ra, attendant omnes; & hac Pythagoræ carmina perpendant.

Iura colas non oretenus, sed rebus & ipsis.

Nec prauis mētem suefcas rationibus uti.

Sed mortem fato subituros noueris omnes;

Diuitias quandoq. dari, quandoq. perire.

Mortales quæcunq. Deis mittentibus an-

gunt;

Ut tua fors tulerit, patiens ne ferre recu-

ses.

Nec spernenda medela tamen. Sed no-

ris & istud,

Parcius ista uiris immittere numina iu-

stis.

Attendant uerba Prophetæ dicentis:

Vox exsultationis, & salutis in tabernacu-

lis iustorum. Permittit sepe diuina iusti-

tia, quæ humanis actionibus præsidens, que-

madmodum rectè factorum præmium elar-

gitur, ita in impios, & consceleratos homines

animaduertit, ut, ubi ministri munere ma-

lis artibus parto ditescere, & Principis gra-
 tiam aucupari crediderunt, in sexcentas sæ-
 pe calamitates ruerunt, & innumeras obiur-
 gationes multum acerbitatis habentes à Prin-
 cipe illatas susceperunt. Neq. ego um-
 quam viro nobili, ac libero, & quod magis
 est Christiano, dignam esse iudicavi senten-
 tiam illius dicentis: hominem ad dignitatum,
 & honorum gradus euehendum magnum
 prudentiæ specimen præbere, si cum stultis
 insaniat, & reus cum improbis esse studeat.
 Hoc enim non solum omnem prudentiæ spe-
 ciem aufert, sed hominem etiam, ad quem
 attinet opera cum virtute coniuncta exerce-
 re, ut civilem felicitatem, & animæ salu-
 tem adipiscatur, munere proprio carere de-
 clarat. Atqui malis actionibus honores
 comparari non possunt; nam, ut multoties
 dixi, honestum ex turpi non nascitur. Ac
 sapientiores dixerunt honorem, & gloriam
 honestas actiones comitari, atq., ut um-
 brā

brā corpus , sic honorem , & gloriam opera virtutis splendore ornata sequi voluerunt . Arbitrantur aliqui , quibus humi defixa mens est , malitiam virtutem esse , licet ab ea longissimè distet ; cū virtus nullam cum vitijs affinitatem habeat . Itaq. simul absurdum est , quod alij opinantur : sic nobis viuendum , cū honoris , & dignitatis consequendæ cupiditate ferimur , ut semel nos cum alio insaniuisse testemur . Si quidem numquam à recto flectendum est , quia non qui cæpit , sed qui perseuerauerit vsq. in finem saluus erit . Imo quamuis singularis actio honesta felicem , & honorabilem hominem non reddat , unica tamen sceleris admissi macula illū ignominie labe perpetuò aspergit , omniq. felicitate priuat. iuxta illud commune Axioma Philosophi : bonum ex integra causa , malum autem ex singulis defectibus . Impius cū in profundum venerit peccatorum (ut inquit sa-

piens) contemnit, sed sequetur eum opprobrium, & ignominia. Vbi timor Dei non est, ibi sapientia esse non potest; ibi iustitia esse nequit, ubi C H R I S T U S, qui summa iustitia est, non dominatur. At qui hæc opinio multorum animos occupauit: non modo ijs, qui aliquid dederint, sed ijs etiã, qui aliquid acceperint pro fumo vendendo te inimicum, si id noueris, futurum; ut ij, qui prouehuntur, per substitutum seruiant, te non esse admissurum. Cùm mare pacatum, ac tranquillum est, Princeps, videtur vnus quisq. optimus nauis gubernator, quando verò ventis, & procellis agitatur, tunc veri, & sapientis gubernatoris virtus elucet. Tranquille, & quiete res ita hominum ingenia hebetare solent, ut abiectus homo ab excellenti non discernatur; calamitates verò, ac difficultates statim eius præstantiam indicant. Itaq. non est parua felicitas tua, cùm temporibus tam calamitosis,

sis, ut infirmæ huius ciuitatis valetudini
 subuenires, adueneris. Hoc autem peracto
 virtus tua, & recta gubernandi ratio con-
 celebrabitur. Eam tibi ætatis diurnita-
 tem, Princeps felicissime, tribuat Deus
 Optimus Maximus, quam merita tua po-
 stulant, eam gubernationis moram impar-
 tiatur, quam nos optamus, ut perfectè, quem-
 admodum T. Manlius Torquatus volebat,
 omnia tu ipse videas, singulatimq; in eis in-
 struaris, & uti querebat Scipio Africanus,
 & agebant Alexander XXVI. Impera-
 tor, & Franciscus Sfortia II. olim Dux no-
 ster, ministros tibi utrò deligas. Itaq;
 fiat, ut maligni locum apud te in præuenien-
 do non habeant, & boni à te cognoscantur,
 ac unicuiq;, prout eorum opera requirent,
 tribuas; Neminem tu gratia priues, alio-
 rumq; sermone commotus ad honores euehas,
 sed de omnibus, prout conscientia tua dicta-
 uerit, iudices. Traditum tibi animum

Deus conseruet. Speramus enim, ut, securitatem hanc consequamur; te, nempe Senatus, & Magistratum ope adiutum, incredibili perseverantia velle, ut pristinus legum honor conseruetur, ut iuris nostri civilis facultas reuiuifcat, ut omnia ex vetere praxi conuulsa rursus vigeant, ut dilapsa restituantur, & in pristinum splendorem vindicentur. Id autem tantum immutari curabis, ut non apparitores, satellites, milites, quadruplatores, diuisores, delatores, scripturæ prepositos, vel iudices ipsos, sed leges solas, sed ius nostrum civile omnes reformident. Cæterum ne, quod ille ait, in commoda publica peccem, si longo sermone morer tua tempora, Princeps, illud summam habere, ut nos omnes te obsecremus, obtestemurq; per vigilantiam, & integritatem tuam, ne contrahas, aut demittas animum, neue te obrui tamquam fluctu, sic magnitudine negotij sinas. Multum tibi laboris

ris diminutum iri speramus, quòd iam, quæ
 obstabant, & impediabant, plurima remo-
 ueris, quòd benè prouisa, & diligenter ex-
 plorata principia posueris, quòd tu, qui ho-
 rum auctor es, tandem vitæ probitate splen-
 descas. Nam si non boni principij vi qua-
 dam, quæ magna est, Dei Opt. Max. sal-
 tem, qui res optimè gestas non aspernatur,
 auxilio reliqua iam sine magna difficultate,
 vt prosperè succedant, cuiusq; animus au-
 guratur. Neq; enim eos regis, de quibus
 olim dicebatur: iura in ossibus hominum scri-
 buntur; sed in quibus ratio plurimum potest,
 ac diligentia. Mihi crede, Princeps, pro
 his omnibus rebus te tam iuris religiosissi-
 mum, quàm victis hostibus fertilitatis trium-
 phatorem magnificum esse predicabimus, idq;
 monumentis annalium mandabitur, et po-
 steritati propagabitur.

Quod Sanctæ Romane Ecclesie patres
 rectum duxerint, quod pium, bonumq; erit,
 id


*id in hisce lucubrationibus nostris firmum,
ratumq; esto.*

*Laus Deo, Deiparaeque Virgini
Marie.*

Frater Michael Angelus Seghitius à
Lauda Vicarius Sancti Offitij Me-
diolani vidit.

Don Lactantius Bergomen. Theo-
logus Illustris. & Reuerendis. Ar-
chiepiscopi Mediolani vidit &c.

Trottus.



114
In nomine Domini Amen
Venerabilis

Leo Pio, Pater noster
Mater

Frater Michael Angelus Segrinus
Cantuariensis Sancti Othoni Med
diolani vidit

Deo Ruffinus Bergomen. Theo
logus Illustri & Reverendia Ar
chiepiscopi Mediolani vidit &c.

Tertius.

